





B. II. 23.

# SANCTI FRANCISCI XAVERII, E SOCIETATE JESU INDIARUM APOSTOLI,

## *EPISTOLARUM LIBRI QUINQUE.*

Quorum priores quatuor ab Horatio Turſellino Societ: Jesu ex Hiſpano:

*Ultimus autem à Petro Poſsino ejuſdem Societ: partim ex Hiſpano, partim ex Luſitano latinitate & luce donati Romæ,*

Et nunc denuo Superiorum permiſſu recuſi,

Patrum Eremitar. Camaldulen. M. Reg. spe Cruc. 1674

❧(o)❧

*PRAGÆ*

Typis Univerſitatis Carolo-Ferd: in Collegio Soc: Jesv ad S. Clem:

Anno 1667.

Ab A. R. P. Joanne Pissck Soc: Jesu donatus P. R. E. C.

*PER ILLUSTRI*

*ET GENEROSO DOMINO*

# IOANNI FRANCISCO EDMUNDO PUTZ,

Equiti de Turraquila,

Domino in Nimes, Dewin, Merzdorff, & Podzetic,

SAC: CÆS: REG: MAJEST: ACTVALI CAMERÆ CONSILIARIO,

*&*

ASSESSORI IN REGNO BOEMIÆ.



Eddo, PERILLVSTRIS & GENEROSE DOMINE, dilecti Tibi FRANCISCI XAVERII,

 æta-

ætatis noſtræ Thaumaturgi, Epiſtolas, ſed auctiores illas, & libro toto copioſiores. Effugerant non paucæ induſtriam Horatij Turſellini, tametſi viri in geſtis ſcriptiſq; Xaverianis cognoſcendis colligendiſque admodùm curioſi ac ſolertis: annis proximè prælapſis repertas alias inter ſcruta Archivij Romani, alias in ſcrinijs Regis Luſitaniæ, alias ab amicis aliunde ſubmiſſas unum in librum idoneo ordine congeſſit, & typis vulgavit Petrus Poſſinus, Societatis noſtræ Sacerdos. Ne verò ſeparatæ, facie typi di-

ver-

versâ, longiùs à ceteris eodem ingenio ac digito ſcriptis peregrinarentur, feciſti Tu PERILLVSTRIS DOMINE, ut ſtatuerem ego in unum volumen eas omnes conjungere, ad multarum imprimis piarum mentium, avidè epiſtolas has expetentium ſolatium; deinde ut ad cor aliquorũ etiamnum quaſi loquentem frequentiùs redderem Xaveriũ, ac demum ut in manibus quàm plurimorum exiſterẽt. Et certè, dignæ ſunt hæ viri pro gloriâ DEI movenda ardentiſſimè laborantis epiſtolæ, ut à plurimis terantur, ma-

gnâ curâ asserventur, eóque in loco ab omnibus ponantur, quo Tu omnia illius dicta & facta, æquus Æstimator, reponere consuevisti. Pręcipiebat olim Cosmas Lauræ Abbas Basilio, asceterij propinqui Abbati: *cùm inveneris aliquid ex Opusculis D. Athanasij, nec habueris chartas, quibus inscribas, in vestimentis tuis scribe.* Insigne elogium ad commendationem lucubrationũ sanctissimi simul ac eruditissimi Episcopi! quod æquo propè jure transferri posse ego arbitror ad ea, quæ extant perpau

ca

ca ſcripta ac epiſtolia D. Franciſci Xaverij: aliquâ fortaſſis parte inductus affectu, quem eximia Sanctiſſimi viri virtus in me excitavit, majori verò ex ipſa ſcriptorum dignitate. Quanta, DEVS bone! in ijs elucet erga DEVM pietas! qui gloriæ divinæ Zelus! quod veræ religionis latiſſimè propagandæ ſtudium! quæ animi magnitudo! quæ ad potentiſſimos etiam Monarchas & Reges, ubi correptione opus erat, libertas! quæ deniq; virtutum omnium maturitas! ut ſanè vel ſolo epiſtolarum Xaverianarum Magiſterio &

ductu ad inſignem quis pervenerit prudentiam & ſanctimoniam. Virum magni nominis, & diverſis provincijs gubernandis (quas ſumma cũ commendatione ſępius rexit, obiítque demum Italiæ Aſſiſtens) præpoſitum audivi de epiſtolarum Xaverianarũ lectione diſſerentem, ac dicentem, ex ijs ſe præcepta tum ſanctimoniæ, tum conſilij petere, nec uſquam ſine comite libello illo peregrè abire, nec pati, ut domi unquam ab ſe abeſſet. Suſpicor, exemplum accepiſſe à glorioſæ memoriæ Martyre Marcello Maſtrillo,

Presbytero Societatis noſtræ, illuſtri Marchionum familiâ progenito, & in Japonia demum glorioſâ morte in odiũ fidei ſublato. Divinus hic vir, cùm ſemper totum ſe pro feſſus eſt Xaverio devotum dicatúmque, tum rem nullã, quæ quidem cum difficultate aut periculo videretur conjuncta, ſinè Xaverij ductu eſt aggreſſus. At, inquies: an ergo Xaverium habuit alloquẽtem? Ita, ajo: Xaverij epiſtolas, quaquà demum abiret, circumferebat, ex ijsdem, fortuitò ac temerè apertis, petebat in rebus dubijs conſiliũ,

in periculoſis præſidiū, in difficilibus levamen, ſolamen in triſtibus. Et verò ſemper reperiebat, iíſque ducibus, quaſi vivâ Xaverij voce, inter tot terrarum ac marium diſcrimina eſt uſus, adeò notâ per totam claſſem conſuetudine, ut inter vectores paſſim *Sanctus Franciſcus Xaverius ejus claſſis* qua Maſtrillus proficiſcebatur, *Navarchus. Epiſtolarum liber acus magnetica, & navigationis charta*, vocaretur. Has igitur Tuis potiſſimum ſub Auſpicijs PERILLVSTRIS & GENEROSE DOMINE, in lucem dandas

das eſſe cenſui , Tibi devotâ
obſervantiâ dedicandas ; mu-
nus (non enim fallor) vel ideo
Tibi gratiſſimum, quòd opus
Xaverianum ; quòd ſententię
eâ manu exaratæ , quæ vicies
centenis millibus cælum ape-
ruit ; cui tantum virtutis com
municavit DEVS , ut mortuos
etiam vitæ redderet. Servient
illi Tuo, quo in Divum Fran-
ciſcum ferris ; affectui pror-
ſus eximio , gaudebíſque no-
vo quodammodo ore reddi
illius oracula, cujus encomijs
evulgandis, incidendis æri ico
nibus munificè ſubminiſtrare
conſueſti impenſas : hæredi-

tariâ nimirum à PERILLVSTRI Progenitore Tuo pietate, cujus in Societatem noſtram universam benevolentia, in D. Xaverium religio uſque adeò noſtris altè inſedit pectorib9, nulla ut eam deletura ſit, poſterarum ætatũ oblivio. Cape hoc, quale quale, omnium vice, noſtræ in Te, PERILLVSTRIS DOMINE, obſervantiæ ac gratitudinis, mnemoſynon, pietatis fructus uberiores relaturus ab ipſo, quem devotiſſimo ſtudio veneraris Xaverio, non olim tantùm (quod prodiga Divi beneficentia ſerum putat) ſed currentis etiam

am vitæ tempore relaturus. Ita precor, ita voveo.

PERILLVSTRIS
DOMINATIONIS
TVÆ

*Servus in Christo*

M. T. S. J.

LE-

# LECTORI.

Libris quatuor Epistolarum Sancti Francisci Xaverij dudum ab Horatio Tursellino S. I. sub auspiciis Francisci Toleti S. R. E Cardinalis editis, quâ ratione aut occasione quintus liber, à Petro Possino eiusdem Soc: Sfortiæ Pallavicino, S. R. E. Cardinali inscriptus prodierit, breviter tibi ipsiusmet verbis indicandum duxi. Alexander Philippuccius è nostra Societate A. 1658. die 12 Martij, Maceratæ, pertinacissimo & dirissimo languore, spe omni recuperandæ valetudinis exclusus, invocato S. Francisco Xaverio ita mirabiliter convaluit, ut cujus diei primo manè solitis angoribus morbi jam sesquiannui cruciatus immanissimè fuerat, ejus ante meridiem planè robustus ac vegetus sacro solemni in gratiarum actionem, concursu ejus Civitatis ingenti, celebrato ministraret. Is dein-

de

de Sancti Sospitatoris sui Nomen adscivit, & ut vitam imitaretur, exoratâ Majorum veniâ, navigavit in Indiam. Sed priùs magnoperè me oravit ut in hoc nostro Archivio Romano conquirere ne gravarer, ecquæ adhuc ineditæ S. Francisci Xaverij Epistolæ laterent, tum quæ reperirentur, latinitate ac luce donarem. Obsequens tam piis votis, quinque nondũ publicè visas Indiarum Apostoli epistolas ibi reperi, manu ipsius scriptas. Ille autem in Lusitaniam solvens, transmisit duodecim novarum epistolarum exempla, ( inter quas sunt quinq; ardentißimo spiritu & Apostolica libertate, ad Regem Lusitaniæ exaratæ ) ex autographis exscripta, quibus unam addidit R. P. Dominicus Langa Hispaniæ Aßistens, & sic sunt quas in hoc libro damus, octodecim congregatæ. Quàm divino autem spiritu omnes hæ Epistolæ exaratæ sint, placuit Deo etiam prodigiosis sæpius eventi-

bus,

bus, in altero Viro, ejusdem Sancti operâ miraculosè persanato, & in Japonem evocato, declarare, Marcellus is es Mastrilius, qui cum aßiduè eas manibus tereret, quoties dubius pendebat, aut periculosi alicujus eventûs metu percellebatur, consueto per fortuitam Epistolarum apertionem Xaverio, consilium & remedium semper inveniebat. Rem hanc exemplis sequentibus Vitæ Marcelli scriptor P. Philippus Alegambe confirmat. Inciderat navis, quâ Marcellus in Indiam vehebatur, per Navarchi errorem inter brevia syrtésq;, certo omnium, quia periculi prorsus ignari velut in tuto securi pergebant, naufragio. Quibus ope Xaverij tandem eluctati; novo quodam sortitu Xaverium de toto futuræ navigationis eventu consulunt. Epistolarũ ergo ejus liber uni Nobilium in manus datus, qui fortuito jussus est eum aperire, & quod obvium primò fuisset, palàm

pra-

prælegere. Prima ſortitio ea libri 2. epiſtolæ 6. verba reddidit: Cocini hominem expecto. Altera ex libro 4. epiſtola 1. hæc alia: Aprili menſe proximo aliquis ex noſtris Patribus in Japoniam mittetur. Lætum omnibus fuit augurium, certum ſibi & Cocinũ & Goam hoc adhuc anno adventũ ſpondentium, cùm in Japoniam Aprili mitti non poſſet, niſi priùs Goam appuliſſent. Appulêre enimverò licet per immania, ſæpius à cœpto itinere deſiſtere jam certi pericula, & quidem Cocinum priùs. Vbi ſenſus omnium & vox una fuit, non poſſe tanto in errore, quantum ipſi ſubijſſent, tanta peroſperitate tot inter cæca pericula non aliquod grande latere myſterium: cogniturος ſe aliquando quod nunc lateat, ingens aliquod Xaverij præſidium. Nimirum Goæ demum reſcivêre, quinque Hollandicos myoparones ſubſediſſe in inſidijs, qui morâ, errantium tamdiu ſyr-

*tes inter & scopulos Lusitanorum fracti, cùm ob anni senium prædam desperâssent, aliò sua studia deflexêre. Die 31. Aug: cùm de tenenda hoc anno Goâ jam diffiderent, consulto rursum Xaverio, illud ex l. 2. ep. 7. occurrit:* Prætor hibernare me voluit Goæ: *illud autem quod mox sequitur Marcello omnes aptabant:* Técum tanquam cum Amico fidelissimo coram quædã de itinere Japonico, quod post annum suscipere cogito, communicabo. *Calendis Septembris simili sortitione jubebantur gratiam Deo pro beneficio habere. Postridie monebantur, ut parati starent & cauti ad futura pericula, invidiâ Dæmonis concitanda: nam peculiari auxilio B. Virginis, ex omnibus feliciter emersuros. Omnia prorsus, ut erant prædicta, evenêre. Manilæ jam existens Mastrillus, & cum Gubernatore contra hostem viribus multò valentio-*

*rem*

*rem profectus, cùm Duces omnes auxilia Indorum expectanda censerent, ipseque humano judicio rem ponderando idē sentiret, intervenire tamē Gubernatoris cœptis priùs noluit, donec vaticiniū hunc Xaverij libellum consuleret, in quo mox hæc verba sortitus est.* Sępe credimus nostram sententiam potiorem esse, verùm permittēdæ sunt res ijs, qui eas administrāt, si errare nolumꝰ. *Quibus ille admonitus, nunquam eo deinceps potuit induci, ut obniteretur Gubernatoris inceptis: & postmodū patuit ad victoriā permultū habuisse momenti, adeo festinatam profectionē. Vtere igitur & tu pie Lector S. Viri Apostolicis his scriptis, & fructum ex ijs non pœnitendum expecta.*

❧[*,*]❧

AP-

# APPROBATIO

Pro IV. Libris Epiſtolar: ab Horat: Turſell: converſis.

*VIderunt diligenter has litteras Patris Franciſci Xaverij Societatis JESV, quas P. Horatius Turſellinus ejusdem Societatis ex Hiſpano in Latinum ſermonem convertit, infraſcripti Patres nihilque in eis vel fidei, vel bonis moribus repugnans invenerunt: cum multa in eisdem comperiantur, quæ pios juvare & ædificare poſſint. Romæ 16. Februar: 1596.*

Jacobus Tyrius. Antonius de Mendoza.
Joannes Alvarius. Ludovicus Maſellus.

# APPROBATIO

Pro Libro V.

Imprimatur ſi videbitur Reverendiſſ: P. M. Sac: Palat:

*O. Ep: Patracen: Viceſg:*

*Imprimatur*

Fr. Raimundus Capiſucchi, Ord: Præd: Sac: Ap. Pal. Magiſter.

IN-

# INDEX
## Epiſtol S. FRANCISCI XAVERII, & eorum ad quos miſſæ ſunt.

## EPISTOLÆ LIBRI PRIMI.



## LIBER II.

## LIBER III.



## LIBER IV.



II.

# LIBER V.

FINIS.



# S. P. FRANCISCI XAVERII
## *EPISTOLARUM LIBER I.*

### EPISTOLA I.
Societati Romam.

Summarium. *In Indiam appulſus S. Franciſcus Xaverius, itineris ſui caſuum ac laborum ſeriem narrat. Exponit charitatis officia, quibus occupatur Goæ. Docet miſſiones arduas cœleſtium plenas eſſe voluptatum. Litteras & conſilium petit, egregiâ deſpicientiâ ſui.*

*Gratia & charitas D. N. JESU Chriſti ſit nobiſcum ſemper. Amen.*

Olyſsipone cum P. Paulo, & Franciſco Manſsilla profecturus ſcripſi ad vos pluribus de noſtra in Indiam profectione. Nunc, quoniam me rogaſtis, ut cùm primum per otium liceret, de meo in Indiam adventu perſcriberem, faciam vos de Indico noſtro curſu atque itinere certiores.

Ad vij. Id: Aprilis anni poſt Chriſtum natum M. D. XLI. Olyſſipone ſoluimus. Indiam attigimus pridie Nonas Majas anni inſequen-

tis. Itaque annum eòque amplius in itinere posuimus, quod ferè semestre esse solet. Vecti sumus eâdem quâ Prætor navi, honorificè ab eo semper tractati, valetudine etiam omnes usi commodâ. Non defuerunt toto eo tempore confessiones excipiendæ vel ægrorum, vel valentium; nec diebus Dominicis sacra concio prætermissa. Magnam DEO gratiam habeo, qui hoc mihi tribuit, ut regnum piscium traijciens invenirem homines, quibus divina enunciarem mysteria, & Confessionis Sacramentum non minùs mari, quàm terrâ necessarium administrarem.

Ex itinere Insulam tenuimus, cui Mozambico nomen est; ubi cum magna hominum multitudine, quæ quinque ingentibus advecta erat navibus, sex menses hiemavimus. Ea in insula oppida sunt duo, Lusitanorum unũ regio præsidio firmatum, Saracenorum alterum amicorum. In hybernis plurimi ægrotârunt; ad octoginta perierunt. Nos perpetuò in Valetudinario ægrotis ministrantes diversati sumus. P. Paulus & Mansilla corporibus ministrabant; ego etiam animos curabam, peccata expiando, Christíque Corpus impertiendo assiduè; quamquam ne sic quidem unus omnibus satisfacere poteram. Diebus Dominicis verba ad populum facie-

faciebam magnâ ſanè hominum frequentiâ, quód ipſe aderat Prætor. Sæpè etiam ad aliorum confeſſiones audiendas evocatus ire cogebar. Itaque quamdiu ſubſtitimus Mozambici, haudquaquam ceſſavimus. Prætor cohórsque Prætoria, & milites univerſi magnam erga nos præ ſe ferebant benevolentiam: nóſque DEO benè juvante, magnâ omnium voluntate & emolumento ſpatium illud ſemeſtre traduximus.

Abeſt Mozambicus ab India leucas circiter nongentas, hinc Prætor in Indiam pergere maturabat. Sed erant propter anni tempus ægri complures: proinde nos rogavit, ut noſtrûm aliquot in inſula remanerent, qui ægrotis ibidem relictis, quòd in præſentia per valetudinem non poſſent iter perſequi, ſubvenirent. Itaque ex Prætoris ſententiâ Paulus & Manſilla apud ægros manſerunt, ego Prætorem ipſum haud ſanè valentem ſecutus ſum; ut ſi fortè ingraveſcente morbo gravius aliquid incidiſſet, ejus confeſſionem audirem. Quocirca jam dudum appuli cum illo in Indiam. Socios cum navibus, quæ Septembri menſe Mozambico venturæ ſunt, in dies expecto.

Quintus jam menſis agitur, cùm Goam, Indiæ caput, applicuimus. Goa urbs eſt præclara ad aſpectum, civitas tota Chriſtia-

norum. In ea Franciſcanorum cœnobium eſt ſanè frequens; ſedes Cathedralis magnifica, & Canonicorum frequentiâ inſignis; ſacræ præterea ædes non paucæ. Eſt cur DEO gratulemur, Chriſti nomen in terra adeò longinqua inter Ethnicos tantoperè florere.

E Mozambico profecti menſes in itinere conſumpſimus duos eóque ampliùs. Melindæ, quæ urbs eſt maritima Saracenorum amicorum, paucos ſubſtitimus dies: hîc Luſitani mercatores plerumq; verſantur; quorum ſi qui fortè ibidem excedunt è vita, magnis humantur tumulis, qui paſſim crucibus inſignes viſuntur. Propter urbem Luſitani ingentem è ſaxo inaurato pulcherrimámque ſtatuerant crucem. Dici vix poteſt, quantum ex eo aſpectu ceperim voluptatis. Apparebat enim vis crucis, quæ in media Saracenorum ditione victrix emineret.

Melindanus Rex in navim ad Prætorem Indiæ ſalutandi causâ venit, eúmque benignè amicéque excepit. Melindæ cùm eſſem, funere elatus eſt quidam, qui in noſtra navi mortem obierat: ei juſta ritè perſoluta ſunt, magna cum Saracenorum approbatione, mirantium noſtram ſepulturæ exequiarúmque rationem.

Saracenus Melindanæ civitatis primarius

ex

ex me percontatus eſt, num templa, ubi nos ſolemus orare, Chriſtianorũ frequentiâ celebrarentur; & quàm fervidi aſſiduíq; iidem eſſent in Chriſto colendo. Ajebat enim apud ipſos jamdudum refrixiſſe pietatem: quocircà cupere ſe ſcire, idémne Chriſtianis hominibus uſu veniret. Quippe ex ſeptemdecim fanis quæ Melindæ eſſent, tria dumtaxat, eáque à paucis admodum frequentari. Itaq; homo erat ſanè conturbatus, hærebátq; ue, quod ignoraret quid tandem cauſæ eſſet, cur ſuorum pietas interiret. Nimirum tanti mali dicebat nõ niſi ex nefario aliquo ipſorũ ſcelere natum eſſe. Multis verbis ſuper ea re ultrò citróq; habitis, dixi, Deum, quippe qui fideliſſimus ſit, ab infidelibus, eorúmque precibus abhorrere; atque hanc eſſe cauſam, cur preces, quas reſpueret, apud eos extingui vellet. Quod cùm homini longè à me diſsentienti minùs probarem; extitit Saracenus Caciz, idem ac magiſter Mahometicæ diſciplinæ, eruditus inprimis: is confirmavit, niſi Mahometes intra biennium eos reviſeret, ſe verò illius religioni nuncium remiſſurum. Nimirum infidelium ſceleratorúmq; hominum proprium eſt, ut anxiam ac deſperatam vitam trahant: atq; id ipſum DEI beneficium eſt, ut eâre admoniti aliquando reſipiſcant.

Porrò à Melinda cùm vela fecissemus, ex itinere Socotoram insulam tenuimus, quæ circuitu ad centum millia passuum complectitur. Terra est vasta, & ab omnibus rebus inops; non triticum, non oryzam, non milium, non vinum, non poma arborum fert, planè sterilis & arida, nisi quòd dactylis, ex quibus panem conficiunt, & pecore abundat: incolæ caryotâ, lacte & carne vivunt.

Magnis insula urgetur æstibus Solis: incolitur à Christianis non tam re, quàm nomine: gens quippe mirè rudis, & imperita: neque scribere, neque legere vulgò norunt. Itaque nulla apud eos monumenta litterarum. Christianos se esse gloriantur: visuntur apud eos templa, & cruces cum lychnis: suus cuique vico Caciz est instar Parochi; Cacizes autem nihilo magis, quàm alii, scribendi legendíve periti. Ne libros quidem habent ullos; tantùm precationes quasdam memoriâ tenent. Itant in templa quater in die, de media nocte, primâ luce, inclinato in pomeridianum tempus die, & sub vesperam. Campanæ apud eos nullus usus: ligneis crepitaculis, uti apud nos sanctâ hebdomadâ assolet, populo conveniendi signum datur. Precationes, quas recitant, ne ipsi quidem Cacizes intelligunt: quippe alienâ linguâ (Chaldeâ opinor) continentur. S. Thomam

Apo-

Apoſtolum ſanctè admodum colunt, quòd ſe oriundos prædicant ab iis, quos ille hiſce in locis Chriſto peperit. In precationibus, quas dixi, iterant aliquoties vocem, quæ noſtrum imitatur *Alleluja*. Cacizes porrò neque baptizant quemquam, neque omnino quid Baptiſma ſit ſciunt. Ibi cùm eſſem pueros complures Baptiſmo luſtravi, ſummâ parentum voluntate. Vulgò plerique libentiſſimis animis liberos ad me deducebant ſuos: offerebant quoque perliberaliter ex inopia ſua, quod habebant; ſic prorſus, ut ego dactylos tam propensâ voluntate oblatos neutiquam aſpernarer. Rogarunt me etiam atque etiam, ut apud eos commorarer; neminem omnino in illa inſula fore, quin baptizaretur. Itaque Prætorem oravi, ut liceret mihi per eum ibi manere, ubi meſſem offenderem maturam jam ac paratam. Sed quoniam inſula ab Luſitanorum præſidio nuda, Turcarum populationibus expoſita eſt; Prætor veritus, ne in ſervitutem abducerer, nullo modo ibi me relinquendum putavit. Reſpondit igitur, me ad alios Chriſtianos venturum, qui nihilo minùs, aliquantò etiam magis, quàm Socotoræi, doctrinæ atque opis egerent, apud quos utique multò meliùs operam eſſem poſiturus.

Interfui Veſperis à Cacize recitatis, quæ

horam expleverunt. Numquam preces iterare, ac thus incendere desistebat; perpetuò enim fana odoribus complent. Cacizes autem etsi uxores habent, tamen ciborum abstinentiâ sunt & jejuniis insignes. Quoties jejunant, non solùm carne ac lacte, sed etiam pisce ( cujus magna copia est) abstinent; usque eò religiosè, ut moriantur citiùs, quàm quicquam tale degustent: palmis modò, & oleribus victitant. Et quidem Quadragesimas jejunant binas, quarum altera est bimestris. Hoc jejuniorum tempore si qui fortè profani homines gustaverint carnem, his aditus in templum haudquaquam patet.

In vico quodam Saracena erat mulier, cum duobus parvis filiis, eos ego, Saraceni hominis liberos esse ignarus, volebam abluere Baptismo. Repentè illi ad matrem refugiunt, querentes quòd eos baptizare conarer. Tum mulier me aggreditur, denuncians ne Baptismo liberos lustrarem suos: se Saracenam esse, nec velle filios suos Christianis initiari sacris. Ibi tum Socotoræi clamare: Enimverò illos tanto beneficio indignos esse; prohibere eos, ut maximè vellent baptizari: negare se passuros quemquam è Saraceno fieri Christianum. Tantum eos cepit odium Saracenorum.

Inde cùm Februario exeunte solvissemus, pridie

pridie Nonas Majas (ut dixi) pervenimus Goam. Quinque naves, quæ Mozambici subſtiterant, medio menſe Martio indidem diſceſſerunt. Earum una, magnitudine præcipua, & pretioſis onuſta mercibus, naufragio facto, vectoribus ſalvis interiit: ceteræ Goam appulerunt. Ego Goæ diverſor in Valetudinario, ægris Sacramenta Confeſſionis & Communionis impertiens. Tanta porrò eſt multitudo ſanorum confiteri cupientium, ut ſi decem in locis ſimul eſſe poſſem, nuſquam deeſſent, quorum confeſſiones exciperem. Poſt operam ægris datam, manè adeuntibus confitendi causâ aures dabam; poſt meridiem in cuſtodiam ad vinctos me conferebam, traditáque eis ritè confitendi ratione, totius anteactæ vitæ audiebam confeſſiones. Quo negotio confecto, in ædem B. Mariæ, Valetudinario proximam, migravi: ibi pueros (aderant autem ſæpè ampliùs c c c.) uſitatas precationes, Symbolum, Decalogi præcepta docere inſtitui. Itaque Epiſcopus idem in ceteris templis fieri juſſit: quod etiam hodie fit. Fructus hinc percipitur hominum opinione major, & quidem libentiſſimâ civitate.

Apud eam quam dixi ædem, quamdiu habitavi, Dominicis ac feſtis diebus manè concionem habebam promiſcuè ad populum à

prandio indigenis Symboli capita explicabam majore hominum frequentiâ, quàm quantam ædes capere poſſet. Inde Orationem Dominicam, & Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, decem divinæ legis capita inculcabam. Diebus porròDominicis, leproſis (quorum Noſocomium eſt in ſuburbano) faciebam Sacrum: eóſque poſt auditas eorum Confeſſiones Chriſti Corpore impertiebam. Nemo ibi fuit omnino, qui non ea Sacramenta perceperit. Cùm ſemel me audiſſent verba facientem è ſuggeſtu, omnes valdè mei ſtudioſi extiterunt.

Nunc Prætoris miſſu in certam regionem proficiſcor, ubi ſpes eſt plurimos factum iri Chriſtianos. Mecum tres illius terræ alumnos duco; quorum duo Diaconi ſunt, Luſitanæ ſimul & patriæ linguæ ſatis periti, tertius minoribus ordinibus dumtaxat initiatus. Equidem magnopere ſpero, meum laborem Chriſtianæ rei magno emolumento futurum. Cùm primùm P. Paulus, &Franciſcus Manſilla Mozambico venerint, recepit Prætor, ſe eódem, quò ego contendo, illos quoque miſſurum. Is locus Comorinum Promontorium appellatur; abeſt à Goa ad ducenta millia paſſuum. DEum oro quæſóque, ut vobis deprecantibus, meorum delictorum oblitus, tantum mihi impertiat opis,

ut præclaram ei operam illis in locis navare queam.

Ærumnæ tam longinquæ navigationis; ſuſceptio alienorum peccatorum, cùm tuis ipſe vrgearis; diuturna commoratio inter Ethnicos, & in terra quæ nimio Solis torreatur ardore; hæc, inquam, omnia incommoda, ſi Dei causâ, uti par eſt, ſubeantur, profectò magna ſolatia ſunt, & materia multarum magnarúmque cœleſtium voluptatum. Equidem ſic mihi perſvadeo, Crucis Chriſti Domini amatores vitam ejusmodi exercitam ærumnis beatam ducere; crucis autem fugam, aut vacuitatem, mortis inſtar putare. Quæ enim mors acerbior eſſe poteſt, quàm ſine Chriſto, ubi ſemel eum guſtaveris, vivere; eúmque deſerere, tuas ut ſequaris cupiditates? Mihi credite, nulla crux eſt cum hac cruce comparanda. Rurſus quàm beatum eſt vivere, quotidie moriendo, noſtráſque frangendo voluntates, ut quæramus, non quæ noſtra ſunt, ſed quæ JESU Chriſti?

Quæſo vos, obteſtórq; per Deum Fratres chariſſimi, ut de ſingulis noſtræ Societatis hominibus ad me perſcribatis; nimirum, ut, quoniam haud quaquam ſpero me in hac vita viſurum eſſe eos, ut ait ille, *facie ad faciem*; ſaltem *per ænigma*, hoc eſt per litteras, videã. Nolite hoc mihi beneficium, quamvis indi-

gno denegare. Mementote vos à DEO dignos factos, à quibus ego & sperarem multum solatii, & acciperem. Quæ ratio, qui modus cum Ethnicis & Saracenis, ad quos mittor, tenendus sit, per Christum JESUM diligenter mihi præcipite. Nam sic in animum induxi, per vos mihi præscripturum DEUM ejusmodi rationem, quâ illos ad Christianam religionem nullo negotio traducam. Quicquid intereà, dum vestras litteras expecto, in hoc genere peccavero, ex vestris præceptis me intellecturum, & deinde correcturum esse confido. Interim meritis, & deprecatione sanctæ Matris Ecclesiæ, cujus magnam habeo fiduciam; itémq; vivorum ejus membrorum, ex quorum numero vos estis, precibus non diffido fore, ut CHRISTUS Dominus noster, per me, quamvis servum nequam, in Ethnicorum terrâ Evangelium ferat suum: cùm præsertim si inutili homuncione ad tantum opus utatur, ea res & viris ad magnas res natis dedecori futura sit, & pusilli animi hominibus incitamento: quippe cùm videant me, qui sum pulvis & cinis, & omnium perditissimus, testem esse oculatum summæ, quæ ibi est, operariorum penuriæ. Equidem libenter servum me in perpetuum addicam iis, qui huc profecti suam operam communis Domini vineæ addixerint. Itaque finem faciam

ciam ſcribendi Deum obteſtans, ut pro ſua immenſa miſericordia nos ad ſuam aliquando felicitatem aggreget, ad quã facti ſumus; & ſimul in hac vita vires nobis augeat, quò ſedulam illi, ùt par eſt, navantes operam, ad ejus nutum & voluntatem totos nos úſquequaque conformemus. Valete. xij Kalend. Octob. Anni M. D. XLII. Goæ.

*Veſter inutilis Frater in Chriſto*

Franciſcus Xaverius.

## EPISTOLA II.

### R. P. Ignatio Lojolæ Præpoſito Gener. Societatis JESU, Romam.

Summarium. *Signifi.at ædificari Goæ magni momenti Seminarium: peti ſocios, qui illud adminiſtrent; & pietati in eo excitandæ in ſolatium purgantium animarum, Indulgentiam. Luſitanos ab Indulgentiarum religione; Proregem à ſingulari in ſocietatem JESU ſtudio mirificè laudat.*

*Gratia & Charitas Domini noſtri JESU Chriſti, &c.*

CErti quidam homines divino planè numine inſtincti nuper Goæ Collegium

gium inſtituerunt, quo nihil his locis erat neceſſarium magis. Id augetur in dies. Et ſanè eſt cur Deo gratulemur, tale domicilium excitari; ad multorum Neophytorum inſtitutionem, converſionémque infidelium plurimorum. Hujus Collegij ædificationi præſunt viri ſanè honeſti, ac primarii. Prætor ipſe negotio mirificè favet: is uſque eò ſibi perſvaſit rem ad Chriſtianæ religionis amplificationem pertinere, ut ejus potiſſimùm ope atque operâ brevi deſtinatæ ædes augendæ abſolvendæque videantur. Templum ipſum, quod Collegio proximum ædificatur, perpulchrè deſcriptum eſt; jacta dudum fundamenta, perducti ad ſummum uſque parietes, jam faſtigium ac tectum imponitur. Proximâ æſtate ſacris initiabitur. Duplo majus eſt (ſi quæris) quàm templum Pariſienſe Collegii Sorbonici. Collegio attributi annui reditus tanti, ut ſuſtinere queat alumnos facilè centum: opinio autem eſt, ejus vectigalia auctum iri quotidie. Nos quidem Deo benè juvante, confidimus hinc multos paucis annis exituros, qui & rem Chriſtianam valdè juvent hiſce in locis, & Eccleſiæ ſanctæ fines longè ac latè proferant.

Ego verò, ut principia ſe dant, in ſpem venio intra ſexennium hujus Collegii alumnos facilè trecentos fore; eóſque variarum gentium,

tium, nationum atq; linguarum, quorum operâ paucorum annorum ſpatio, Chriſtianorum numerus non mediocriter augeatur. Prætor, ubi primùm otium erat ab Ethnicis (perpetuò enim cum eis bellum gerit) Collegii ædes celeriter ſe exædificaturum recepit: ſic enim in animum induxit ſuum, nihil in tota India æquè pium ac ſanctum reperiri; ejuſmodi autem domos Chriſto dicatas, conciliatrices eſſe victoriarum, quas adhuc multas atque præclaras de Ethnicis reportavit, ſperátque in poſterum etiam præclariores ſe, Deo adjuvante, relaturum. Quare te ego per Chriſtum Dominum, ejúſque cultum etiam atque etiam rogo, ut tuis totiúſque Societatis precibus Martinum Soſam Deo commendandum cures; quò videlicet ſatis illi conſilii auxiliíque divinitus ſuppeditet, ad vaſtam hanc Indiæ provinciam bene gerendam; omninóq; ut *ſic tranſeat per bona temporalia, ut non amittat æterna.*

Equidem ſi arbitrarer ullum relinqui cõmendationi meæ locum, non ſecùs tibi hominem commendarem, quàm me ipſum. Etenim ſuâ me ille egregiâ virtute adeò ſibi devinxit, ut non minùs ego in ejus ære eſſe videar, quàm ipſe in meo; quamquam mutua hæc officia ac ſtudia ad unam Chriſti gloriam referuntur. Quod ſi quando (quod DEUS aver-

avertat) ejus me caperet oblivio, enimverò existimarem, me pro tam ingrato animo gravissimas Deo pœnas daturum. Scribit Prætor de hoc Collegio ad Regem, ut si videatur, Pontificem Maximum per litteras impellat, ad aliquod è Societate mittendos in Indiam, columina hujus Collegij futuros. Id Collegium ab aliis *Conversionis Sancti Pauli*, ab aliis *Sanctæ Fidei* appellatur; quod mihi nomen magis appositum videtur, quòd ejus alumni ad Christianæ fidei semen in Ethnicorum animis ferendum instituti esse videantur.

Mandavit mihi Prætor, ut de hoc Collegio, ejúsque institutione pluribus ad te scriberem; itáq; faciam. Institutum igitur id est, indigenis variarúmq; nationum pueris Christianâ religione imbuendis, qui deinde satis eruditi domos remittantur, ad suos populares docendos. Nullis verbis consequì possim, quantoperè Prætor Societatem nostram ejúsque institutum probet. Sic enim censet, quoniam per te in Societatem Filii sui nos omnes Deus vocavit, se & Deo & suo officio tum demum satisfacturum, si quàm necessaria sit alumnorum hujus Collegii institutio, te per litteras docendum curaverit, ut ad eam rem aliquot huc è Societate mittendos putes. Suum enim esse ait hoc Colle-

gium

gium exædificare; tum idoneis alumnorum magiſtris inſtruere. Idem, ad Chriſtianæ religionis dignitatem, pietatíſque hiſce in locis acceſſionem, multum referre ſtatuit, impetrari à Rom. Pontif. privilegium aræ maximæ hujus templi; ut quoties ad eam Sacrum pro mortuis fiat, toties una anima eximatur è Purgatorio; ſimiliter ut ſi Romæ fieret ad altaria, quæ privilegiata dicuntur. Atque ad arcendam Sacerdotum ibi celebrare cupientium avaritiam, diploma ita componi vellet, ut illud ipſum ita concederetur, ſi Sacerdos gratis nullâque ſpe præmii ac mercedis humanæ ad aram illam Miſſæ ſacrificium faceret: qui autem rem Divinam faciundam curarent, confeſſione expiati, ſacroſanctæ Euchariſtiæ ſub idem Sacrum fierent participes. Et ſanè æquum eſt, ut alienam è Purgatorio animam liberaturus, priùs ab inferno ac tartaro liberet ſuam. Quocircà vellet Sacerdotibus ad eam aram Sacrum facientibus Indulgentiarum aliquid à Pontifice Maximo concedi, ut hoc præmio invitati, rem Divinam ibi facere exoptarent. Hoc ille Pontificis beneficium cùm ad conciliandam loco exiſtimationem, tum verò ad excitandam harum gentium pietatem, expetit mirum in modum. Vel ex hiſce poſtulatis conjecturam capias licet, de ejus animo, qui de re-

rebus sanctis ac piis tam benè sentiat, tam sedulò laboret.

In iis qui huc abs te mittentur, non dubito, quin unus atque adeò plures venturi sint spectatâ probitate ac fide: quippe cùm tale administraturi sint Collegium, tantúmque ærumnarum perpessuri, quantū hæc regio affert necessariò. Mare utique & terra eorum robur ac virtutem satis explorabit. Negotium scilicet est ejusmodi, quod firmâ constitutione corporis, & florente ætate viros postulet; adolescentibus certè quàm senibus aptius: quamquam senes vigentes ac vividos non respuit. Quicumque venient, benignè ac benevolè excipientur ab incolis, atque identidem urgebuntur ut confessiones audiant, pias meditationes tradant, sacras habeant Conciones. Nimirum erit messis multa & copiosa. Habemus jam pueros indigenas ampliùs sexaginta paratos, qui nunc à Jacobo Borbano, viro egregio è Franciscana disciplina, erudiuntur; initâque æstate in hoc Collegium migrabunt. Horum plerīq; legere norunt, complures etiam scribere, satis præculti adGrammaticorum præcepta capessenda. Hoc eò scribo, ut idoneus mittatur magister litterarum, cui quidem in suo munere obeundo sat negotii sit futurum.

Ex eorum numero quos isthinc expectamus,

mus, Prætor Concionatorem aliquem optat esse, qui de sacris Litteris aliquid, aut de Sacramentis explicando, Sacerdotes necessariis rebus (neque enim ferè qui huc veniunt abundant doctrinâ) instruat: eadémque operâ ad Dei amorem, hominúmque conservationem impellat; ídque non doctrinâ magis quàm exemplo, Siquidem, quod te non fugit, ad persuadendum facta dictis sunt potiora. Reliquos autem socios tales desiderat, qui in confessionibus audiendis, Sacramentis ministrandis, convertendis Ethnicis operam sedulò collocent suam: quippe in hac insula ex infidelium conversione fructus percipi potest uberrimus. Complures enim eorum omni ope destituti in superstitionis caligine ac tenebris jacent, Conditoris ac Domini sui penitus ignari. Itáque Sacerdotes tres, præceptorem litterarum unum isthinc Prætor expectat. Scribit etiam ad Regem (si rectè memini) ut à Pontifice quatuor de Societate nostra postulet: Indulgentias item certas petat, quas in epistola perscribo, uti per Regem impetratas iidem socii, qui isthinc venturi sunt, perferant in Indiam. Sic autem tibi persvadeas velim, hac re illos omniũ quotquot in India sunt Lusitanorum conciliaturos benevolentiam, multúmque apud eos existimationis & auctoritatis quæsituros; quod

quod sanè ad res divinas in eorum animis inserendas valet vel plurimum. Omnibus, quas vidi, nationibus Lusitana Romanarum Indulgentiarum æstimatione (ut mihi quidem videtur) antecellit; & istiusmodi rerum dulcedine multò magis ad crebrum Sacramentorum allicitur usum. Quare tum ad alendam eam, quam dixi gentis religionem; tum verò propter summam ejusdem erga Pont. Max. observantiam, illum ego in tam obsequentes filios perliberalem in postulatis concedendis fore confido. Quicquid hujus generis à Pontifice impetratum erit, id Pontificiis consignatum diplomatis ad nos mittendum curabis, ut res & fidei plus habeat & dignitatis.

Prætor ad te, ut opinor, dat litteras. Etsi enim neutiquam te de facie novit, valdè tamen tui studiosus est, & simul Societatis universæ. Quæso te, scribe homini & cum Indulgentiis Pontificiis par sacrarum coronarum, alteram ipsi, conjugi alteram munusculum mitte. Pergratæ illi erunt, vel quòd Pontificiis Indulgentiis præditæ, vel quòd abs te dono datæ. Petit insuper abs te Prorex, pro ea quam habet tui fiduciâ, hoc ut sibi à Pontifice impetres, ut quoties ipse, ejus uxor, liberi confiteantur, toties omnibus fruantur Indulgentiis, quas perciperent, si se-

ſi ſeptem Urbis Eccleſias ritè obirent. Hoc ſi perficies, næ ille plurimùm tibi debebit: & ſimul me aliquid apud te poſſe exiſtimabit, ſi meis hiſce adductus litteris, ſuo ad te nomine ſcriptis, hæc quæ dixi beneficia à Pontifice Maximo impetraveris. Sed finem ſcribendi facio, Chriſtum Dominum obteſtans, ut qui pro ſua infinita miſericordia nos conjunxit in vitæ ratione, poſt mortem item in ſempiterna felicitate conjungat. xij. Kalend. Octobris, anni à Chriſto nato M. D. XLII. Goâ.

*Tuus in Chriſto filius*

Franciſcus Xaverius.

## Epistola III.

### Eidem, Romam.

Summarium. *Rogat ut procuret Indulgentias, alius alias; & Epiſcopo Goano facultatem delegandi Confirmationis conferendæ poteſtatem. Queritur Quadrageſimæ religionem negligi. De Collegio in ſalutem Gentium, Conimbricæ fundando, meminit.*

*Gratia & charitas Domini noſtri JESU Chriſti, &c.*

PRætor Indiæ, cui nos omnes, qui hîc ſumus, quique Romæ verſamur, tum propter

pter ſummum ejus ſtudium cultûs divini, tum propter egregiam erga noſtrum Ordinem voluntatem debemus plurimùm, rogavit me, ut de quibusdam horum locorum ſpiritualibus neceſſitatibus facerem te per literas certiorem. Itaq; cùm & ipſe tantoperè ad pias res ſit propenſus, & ejus poſtulata pietati virtutique congruant, facilè adductus ſum, ut hæc abs te ejus nomine poſtularem.

Primùm igitur quoniam Indi S. Thomam Apoſtolum, Indiæ patronum, ſanctiſſimè colunt; ad hujus venerationis & cultus amplificationem, vellet in diem Apoſtolo ſacrum, & ſeptem inſequentes plenam Indulgentiam à Pontifice Maximo impertiri iis dumtaxat, qui per eos dies ritè confeſſi ad ſacram Euchariſtiæ acceſſerint menſam. Hanc ille cōditionem idcircò videlicet requirit, ut populus ad ſacram Confeſſionem Communionémque inducatur, diésq; feſtus piè ſanctèque, ut par eſt, celebretur; præſertim verò cùm Quadrageſimæ tempore (quod his locis in æſtatem incidit) omnes hîc ſint in armis. Quippe Indi terrâ, Luſitani mari dominantur. Quo fit, toto ut ſacro illo tempore in re militari ac navigatione conſumpto, milites ac mercatores vulgò ſint Confeſſionis & Euchariſtiæ prorſus expertes. Quocircà Prætor, ut homines ad Sacramenta pelliciantur,

hanc

hanc à Pontifice Indulgentiæ illecebram poſtulat; quæ ſanè erit quaſi altera Quadrageſima.

Petit deinde, ut hujus urbis Noſocomiis hoc à Pontifice impetres beneficii, ut ægroti, eorúmque adminiſtri, quoties confeſſi Chriſti Corpus accipient, omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam conſequantur: morientes autem culpâ pariter abſolvantur & pœnâ. Id verò eam ob cauſam expetit, ut ægri Sacramentis utantur frequentiùs; valentes autem libentiùs inſerviant ægris, atq; in piis operibus ſe exerceant; omnes deniq; Deum caſtè piéque venerantes exemplo ſint Ethnicis, inter quos verſantur & vivunt.

Jam Prætor ut eximiâ pietate Dei parentem colit, ſummâ religione ejus dies feſtos agit. Is multò maximam anni partem magna cum cohorte verſatur Goæ. Hæc urbs ſita eſt in inſula ejuſdem nominis, quæ patet millia paſſuum fermè decem. In inſula autem ſunt aliquot B. MARIÆ templa ſanè religioſa & opulenta, ædificiorum ſpecie, veſtibus Sacerdotum, ſacrâ ſupellectili, miniſtrorum frequentiâ cultúque viſenda; quæ cæteris inſtructa & ornata rebus ſpiritualia tantùm ornamenta deſiderant. Itaque Prætor, quoniam maximo apparatu ædes illæ ſuo quæque tempore feſtos B. Virgini agitant

tant dies, ad augendam eorum celebritatem, verámque B. MARIÆ religionem, postulat, ut sacris ei diebus, quicumque post sacram Confessionem Communionémq; ritè factam, illa templa piè ac religiosè adierint, delictorum omnium referant indulgentiam. Nimirum ejusmodi beneficiis præter ceteras Christianorum regiones eget India, ubi in maxima Christianorum multitudine (complures enim Lusitani, plurimi Neophyti sunt, multi etiam quotidie Christiani fiunt) mira est Sacerdotum paucitas. Itaque per Quadragesimæ tempus confessiones omnium audiri nullo modo possunt. Prætor autem id agens, ut nemo hîc Confessionis & Communionis expers vivat, hæc quæ dixi, postulata per te edit Pontifici Maximo, ut omnes Sacramentorum participes esse cupiant, verísque thesauris nobis à Christo Domino ad sempiternam beatitudinem comparandam relictis utantur.

Est in hac urbe, ut in plerísque aliis Christianorum locis, honestorum hominum Sodalitas, quæ hoc suscepit, ut indigenas Christianos tum veteres, tum novos rei familiaris inopiâ laborantes sublevet. Misericordiæ Sodalitas appellatur, totáque è Lusitanis hominibus constat. Incredibile dictu est, quàm studiosè ac sedulò in miserorum egestate sublevan-

levandâ hi boni viri operam navent Deo. Et horum igitur benignitatem magis accendendam poſtulat Prætor à Pontifice, ut Sodalibus confitentibus & communicantibus, quotannis cumulatam peccatorum Indulgentiam; morientibus verò, culpæ ſimul ac pœnæ abſolutionem largiatur. Et quoniam plerique eorum uxores habent, eadem viris cum conjugibus beneficia vellet eſſe communia.

Luſitani non maris ſolùm Indici potiuntur, ſed etiam in ora maritima complura oppida præſidiis tenent, ubi cum conjugibus ac liberis habitant. Hæc loca intervallis ſunt diſiuncta maximis. Velut Goa diſtat à Moluco, ubi arx eſt Regis Luſitani, leucas circiter mille; à Malaca, quæ urbs Chriſtianis eſt ſanè frequens, leucas quingentas; ab Armuzia, urbe præclara & ab Luſitanis valde celebrata, leucas CCCC. ab oppido Dio leucas CCC. à Mozambico leucas CM. à Sofala leucas MCC. Hiſce omnibus in oppidis Epiſcopus Goanus ſingulos habet Vicarios, quòd ea propter maxima locorum intervalla interviſere ipſe non queat. Itaque Prætor, haud ignarus quàm neceſſarium ſit Confirmationis Sacramentum verſantibus inter barbaros, & adverſus Ethnicos perpetuò bellantibus, petit à Pontifice, ut ad Chriſtianam fidem in India

ſtabiliendam, Epiſcopo faciat poteſtatē Confirmationis ſuis Vicariis committendæ; cùm tam diſiunctis locis unus Epiſcopus ſatisfacere, ut maximè velit, minimè poſſit.

In hoc terræ tractu adeò natura ſtatuta temporum mutat vices, ut cùm in altero Indiæ latere æſtas viget, hoc alterum hieme urgeatur: contráque cùm illud hibernis laborat frigoribus, hoc æſtivi fervore Solis exæſtuet. Atque æſtate quidem hîc incredibilis æſtus exiſtit: quippe Solis vapor eſt tantus, ut piſces, ſimul atque extincti ſunt, putreſcant. Itaque per æſtatis tempus, dum hoc mare navigatur, illud alterum clauſum eſt, quippe quod uſque eo concitatur procellis, ut ei ſe committere audeat nemo. Quadrageſimæ autem tempore, ut ſuprà dixi, milites omnes armati inſtructâ claſſe exeunt in expeditionem, itémque mercatores commercii causâ ultrò citróque commeant. Hîc enim Luſitani, qui mari potiùs quàm terrâ potiantur, mercaturam vulgò faciunt; eáque ſe familiáſque ſuſtentant ſuas. Quamobrem cùm propter æſtus intolerabiles, quos dixi, tum propter continentem Luſitanorum navigationem, Quadrageſima jacet, paucis admodum jejunii legem ſervantibus. Mandavit igitur mihi Prætor, ut te de tota re docerem ſedulò, & ſimul per Deum obteſtarer, ut

Qua-

Quadrageſimam in menſes Junium ac Julium (ſi quomodo fieri poſſit) per Pontificem Maximum reijciendam his locis cures. Siquidem eo tempore non ſolùm ſe frangunt calores, verùm etiam propter maris agitationes navigatio conquieſcit. Itaque ob ipſam anni temperiem & pleriq; facilè jejunarent, & omnes Quadrageſimæ admonitu facilè parerent confitendi communicandíq; legibus. Poſtulatum eſt ejuſmodi (niſi quid tu ſecùs) ut ad Dei cultum maximè pertinere videatur. Rogat te vehementer Prætor, quicquid in hoc genere effici poterit, ne prætermittatur procuratoris incuriâ. Horum omnium laborum illud erit præmium, quòd omnium qui hîc ſunt, tibi voluntates conciliabis; & divini cultûs, meritorúmque, quæ ex hiſce beneficiis conſequentur, particeps eris. Vale. Goâ xij. Kal. Octob. Anni M. D. XLII.

Olyſſipone diſcedens ſcripſi ad te de Collegio quodam Societatis, quod Conimbricæ in publico Gymnaſio Rex conſtituere decreverat. Mandavit is mihi, ut aliquot è Societate ad eam rem per litteras poſtularem, ſuámque opem ac ſtudium ad ejus Collegii ædes, dotémque deferrem; laborari enim illis locis idoneorum hominum penuriâ, qui tanto tot locorum intervallo diſiunctos Ethnicos populares ſuos JESU CHRISTI fide ac præcep-

tis imbuant. Tu velim, quid super hac re actum sit, quàm primùm facias me certiorē.

*Tuus in Christo filius*

Franciscus Xaverius.

## EPISTOLA IV.

### R. P. Ignatio Lojolæ Præposito Gener. Societatis JESU, Romam.

Summarium. *Ignatij voluntati morem gerens, scribit de successu suæ in Comorinum Promontorium excursionis. Proregis insignem de Saracenis victoriam refert, eiq; pro meritis à Pontifice Maximo & Ignatio laudes exoptat.*

*Gratia & Charitas D. N. &c.*

EX urbe Goa scripsi ad te verbosiùs de nostra ex Lusitania in Indiam navigatione. Nunc de mea in Comorinum Promontorium expeditione (quoniam ita vis Pater optime ac suavissime) paucis accipe.

Profectus sum cū aliquot ejus loci indigenis Goani Seminarii alumnis, qui ab ineunte ætate Ecclesiasticis cæremoniis instituti sacris jam ordinibus initiati sunt. Obiimus Neophytorum vicos, qui paucis abhinc annis Christiana sacra susceperant. Hæc terra nequaquam à Lusitanis incolitur, utpote quæ summè & sterilis est, & pauper: Christiani autem indigenæ destituti à Sacerdotibus, nihil aliud norunt, nisi se esse Christianos. Nemo

est

eſt, qui eis rem Divinam faciat; nemo qui Symbolum, Pater, & Ave, divinæque Legis præcepta tradat. Ex quo igitur huc veni, haudquaquam ceſſavi: vicos ſedulò circumibam; pueros omnes nondum baptizatos ſacrâ abluebam aquâ. Itaque permagnum infantium numerum expiavi, qui, ut dici ſolet, planè ignorarēt quid intereſſet inter dexteram & ſiniſtram. Pueri autem me neque divinum officium perſolvere, neque cibum ſumere, neque quietem capere ſinebant, quoad aliquam deprecationem eos docuiſſem. Tum verò ſentire cœpi *talium eſſe regnum Cœlorum*. Proinde cùm tam pium poſtulatum non poſſem niſi impiè repudiare, initio facto à confeſſione Patris, Filii & Spiritûs Sancti, Symbolum Apoſtolorum, orationes Pater & Ave Maria eis inculcabam. Animadverti magna in illis ingenia, ac ſi foret, qui Chriſtianis eos præceptis informaret, non dubito, quin perboni Chriſtiani eſſent futuri.

Ex itinere in Ethnicorū pagum diverti, ubi nemo volebat fieri Chriſtianus, etſi finitimos pagos Chriſto adjunctos viderent. quippe in Ethnici reguli ditione ſe dicebant eſſe, qui ſuos populares Chriſti ſacra ſuſcipere prohibet. Hîc mulier quædam ad pariendum vicina tertium jam diem partûs difficultate laborabat, ut à multis deſperaretur ejus ſalus.

Atq; ut impiorum imploratio invisa est Deo, *quoniam omnes Dÿ gentium dæmonia*, eorum preces haud quaquam audiebantur. Contuli me cum uno è comitibus meis ad parturientis domum; statímque cœpi fidenter *invocare nomen Domini*, oblitus me esse in terra aliena: verùm illud occurrebat, *Domini est terra, & plenitudo ejus, orbis terrarum, & universi qui habitant in eo.* Ergo fidei nostræ capita per interpretem explicare institui. Et illa Dei benignitate credidit his, quæ à nobis dicebantur. Demum rogata utrùm vellet esse Christiana, se verò, & libenter respondit. Ibi tum ego Evangelio (quod numquam ibi auditum esse arbitror) recitato, mulierem ritè baptizavi. Quid multa? Sub Baptismum peperit, quæ *in Christo speravit & credidit.* Inde ego ejus virum, ac liberos, & infantem illo ipso natū die, omnémque familiam per Baptismum Christo peperi. Confestim toto pago miraculi divinitus in ea domo patrati fama percrebuit. Itaque ad primores adii, eísque Dei nomine denunciavi, ut Christum ejus Filium agnoscerent, in quo una consisteret mortalium omnium salus. Negabant illi, nisi potestate à suo Regulo factâ, avitam religionem mutare se ausuros. Reguli igitur procuratorem conveni, qui fortè ad exigendum domini vectigal venerat. Is ubi me

de

de noſtra religione differentem audivit, affirmat Chriſtianum eſſe bonum ſibi videri: proinde ſe, omnibus qui vellent, Chriſti religionem ſuſcipiendi facere poteſtatem. Sed qui bonum conſilium aliis dederat, ſibi ipſe non cepit. Tum verò oppidani primarii, cum ſua quiſque familia, primi ad Chriſti cultum ſe aggregarunt; horum auctoritatem ceteri ſecuti ſunt: omnes cujuſque generis atque ætatis baptizati. His rebus ita confectis Tutuchurinum rectà contendimus. Ibi ab Oppidanis perbenignè accepti ſumus, atque in ſpem venimus fore, ut ex his locis capiamus fructus animorum uberrimos.

Prætor hoſce Neophytos mirè amplectitur ac fovet; eiſdémque nuper, cùm vexarentur à Saracenis, auxilium tulit. Piſcatores vulgò ſunt; maritimam oram incolunt; ſéque ac ſuos ſuſtinent piſcatu, maximè margaritarum. His naviculas, quibus in piſcando utebantur, Saraceni nuper ademerant. Id ubi reſcivit Indiæ Prætor, ipſemet validâ claſſe Saracenos adortus devicit; magnáque eorum cæde factâ, omnes eis naves ad unam eripuit. Neophytis locupletioribus ſua reſtituit navigia, tenuioribus ſcaphas condonavit Saracenorum. Ita inſignem victoriam egregiâ liberalitate cumulavit: atque ut opem ipſe divinam expertus erat in victoria,

ita Christianos suam experiri benignitatem voluit. Saraceni jacent afflicti, atque prostrati, nec quisquam inter eos est, qui oculos tollere audeat, cæsis omnibus eorum Principibus, ceterísque qui aliquid viribus pollere videbantur. Quamobrem Neophyti Prætorem quasi parentem diligunt; atque ab illo vicissim liberûm habentur loco. Dici vix potest, quantopere ille novellam hanc Christi vineam mihi commendarit. Nunc præclarum quiddam molitur, & ad posteritatis memoriam, & ad Chistianæ religionis emolumentum. Hosce omnes Christianos, locorum intervallis disiunctissimos, certam in insulam transcribere cogitat, eísque Regem dare, qui jus dicat, eorúmque commodis & saluti consulat. Si PontifexMaximus exploratum haberet, quàm diligentem Indiæ Prætor operam navet religioni, profectò illum pro egregiis suis in rem Christianam studiis atque officiis collaudaret. Proindè efficies, si videbitur, ut litteris ad eum missis declaret, ipsius officia sibi gratissima accidisse. Nec verò est quod illi Neophytos commendet (nihil enim cuiquam magis est cordi) sed potiùs, ut religiosissimo Præsidi pro suo merito laudem tribuat & gratiam: quippe cùm tantopere Christianæ rei consulat, tam solicitè pro Christi excubet grege, ne quid ab Ethni-

cis

eis lupis raptum intereat. Tu verò utique ad eum ſcribas velim: tuas enim illi litteras perjucundas fore certò ſcio. Simul Deum pro eo unà cum univerſa Societate deprecaberis, ut divinam illi opem impertiat, & perſeverantiam in bene cœptis: non enim qui bene cœperit, ſed *qui perſeveraverit uſque ad finem, hic ſalvus erit.* Ego verò infinitâ Dei benignitate, & ſimul tuis, totiúſque Societatis ſacrificiis ac precibus fretus, confido fore, ut ſi in hac vita non licuerit, certè in beata illa, longè majore cum gaudio, nos reviſamus. v. Kal. Novemb. anno poſt Chriſtum natum. M. D. XLII.

*Tuus in Chriſto Filius*

Franciſcus Xaverius.

## EPISTOLA V.

### Societati Romam.

Summarium. *Fuſiùs enarrat res à ſe in Comorino geſtas (vel ex his expende Xaverium.) Aperit acerbitatem ſensûs, quo cruciatur, dum videt perire plurimos, quòd deſint, à quibus inſtruantur. Acriter perſtringit Europæos Academicos, qui ex litteris ſua quærunt potiùs, quam quæ ſunt JESU Chriſti. Subdit de Seminario S. Fidei: mira de Brachmanum fraudibus, déque ſuo cum illis certamine. Prodit cœleſtia, quibus perfunditur, gaudia: ſua ſocio-*

*rum meritis accepta refert. Nihil ipsi jucundius Societatis JESU confirmatione. Mille beatos infantes, quos baptizavit, apud Deum adhibet oratores.*

## *Gratia & charitas D. N. &c.*

TErtius annus est cùm è Lusitania discessi; ex quo jam tertiùm ad vos scribo, cùm unas dumtaxat à vobis litteras in Indiã acceperim, Idibus Februarij Anni M. D. XLII. datas: ex quibus quantum ceperim voluptatis, Deus est mihi optimus testis. Redditæ autem sunt duobus ab hinc mensibus, tardiùs videlicet perlatæ in Indiam, propterea quòd navis, in qua erant, ad Mozambicum hiemavit. Ego & Franciscus Mansilla inter Comorienses Christianos commoramur, quorum permagnus est numerus, & valdè augetur in dies. Cùm primùm veni, sciscitatus sum ex eis, ecquam CHRISTI Domini nostri notitiam haberent? Verùm percontanti mihi de Fidei capitibus quid sentirent, quídve amplius jam crederent, quàm anteà Ethnici; nihil respondebant aliud, nisi se esse Christianos: & quòd Lusitanæ linguæ rudes essent, Christianæ religionis præcepta & mysteria ignorare. Itaque cùm neque illi meam, neque ego illorum linguam intelligerem, quòd ego Hispanicè, illi Malavaricè loquerentur;

pri-

primùm delegi ex eorum numero maximè ingeniosos ac litteratos; deinde sermonis utriusque peritos diligentissimè conquisivi. Ita cùm dies complures unum in locum convenissemus, communi operâ, summo labore convertimus Catechismum in Malavaricam linguam. Quem ego ut didici, omnes ejus oræ vicos obire cœpi, tintinnabulo quàmplurimos tum pueros tum viros cogens. His unum in locum coactis, Christianam disciplinam bis tradebam in die: quocircà eam pueri unius mensis spatio memoriæ bellissimè commendarunt. Interea eisdem præcipiebam, ut quæ ipsi didicissent, parentes domesticos, vicinósque deinceps docerent suos. Dominicis porrò diebus viros ac mulieres, pueros ac puellas sacram in ædem convocabam. Conveniebant omnes sanè alacriter, magnóque cum studio audiendi. Tum ego omnibus audientibus exorsus à confessione sanctissimæ Trinitatis, Dominicam Orationem, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum patrio ipsorum sermone, claráque voce pronuntiabam; præeuntem omnes pariter sequebantur, eáque ex re voluptatem capiebant non vulgarem. Inde Symbolum ego iterabam solus, & in singulis ejus capitibus insistebam. Percontanti autem mihi singillatim, utrùm illa sine ulla dubitatione cre-
de-

derent, omnes pariter contentâ voce, conformatis ad pectus in crucis figuram manibus, se verò credere affirmabant. Symbolum utique sæpiùs, quàm alias precationes eos jubeo recitare: & simul doceo, quicumque credant ea quæ Symbolo continentur, appellari Christianos. Secundùm explicationem Symboli ita eis inculco Decalogum, ut ostendam Christianam legem decem illis præceptis contineri; ea quicumque ut par est servet omnia, hunc & probum esse Christianum, & æternam salutem exploratam habere; contrà, qui unum aliquod eorum negligat, Christianum esse improbum, & ad inferos detrusum iri, nisi eum commissi ritè pœniteat. Ad hæc tum Neophyti, tum Ethnici scilicet obstupescunt, cùm vel hinc animadvertant, quàm sancta sit Christianorum lex, quàm sibi consentanea, quàm congruens rationi. Sub hæc præcipuas orationes Pater noster, & Ave Maria, illis subsequentibus præire soleo. Inde Symboli articulos, sic iteramus, ut ad singulos, pariter Pater & Ave, cum certo carmine recitemus. Nam primo Fidei capite decantato, mox patrio ipsorum sermone hoc præeo carmen: *JESU Fili Dei vivi da nobis, ut hoc primum fidei tuæ caput planè credamus. quod abs te, ut impetremus, hanc tibi precationem offerimus à te ipso institutam.*

*tutam.* Inde alterum hujuſmodi carmen ſubijcimus : *Sancta Maria Mater Domini noſtri JESU Chriſti, impetra nobis à tuo dulciſſimo Filio, ut ſine ulla dubitatione hunc Chriſtianæ Fidei credamus articulum.* Eamdem planè rationem in reliquis undecim Symboli capitibus tenemus.

Decalogi deinde præcepta inculcamus ad hunc maximè modum. Primum præceptum, quod eſt de diligendo Deo, ubi pariter decantavimus, ita ſimul precamur: *JESU Chriſte Fili Dei vivi, da hoc nobis, ut te præter cetera diligamus :* ſtatímque ad eam rem Dominicam adhibemus Orationem. Mox ejuſmodi carmen unà omnes canimus: *Sancta Maria, mater JESU Chriſti, impetra nobis à Filio tuo, ut primum ejus præceptum ſervemus ſedulò:* Inde ſalutationem Angelicam adjicimus Eadem ratio in reliquis novem præceptis ſervatur, carminibus illis intercalaribus paululùm, ut res ipſa fert, immutatis. Hæc ſunt, quæ uſitatis precibus illos petere à Deo aſſvefacio : atque identidem eis denuncio, ſi hæc impetraverint, reliqua etiã cumulatiùs, quàm ipſi petere poſſint, conſecuturos. Confeſſionis generalis formulam cùm omnes, tum verò baptizandos recitare jubeo, eoſdémque inter Symbolum recitandum percontor ad ſingula capita, utrùm ea non dubitanter cre-

dant; quibus affirmantibus, cohortationem adhibere soleo ipsorum linguâ compositam, quâ Christianæ religionis, disciplinæque ad salutem necessariæ summa explicatur breviter. Postremò ita institutos ritè baptizo. Institutionis clausula est, Salve Regina, quâ beatæ Virginis opem & auxilium imploramus. Quanta autem sit eorum, qui ad Christi ovile aggregantur, multitudo, vel hinc intelligi potest, quòd sæpe mihi usu venit, ut manus baptizandi defatigatione fractas haberem: quippe interdum Baptismo lustrabam diebus singulis totos pagos. Itaque non rarò, ex crebra Symboli, taliùmque rerum iteratione, vox me virésque deficiunt. Incredibile est, qui fructus ex infantium Baptismo, puerorum ceterorúmque institutione capiatur. Hos ego pueros non diffido, Deo bene juvante, parentibus suis longè meliores fore. Quippe egregiam erga divinam Legem voluntatem, flagránsque disciplinæ Christianæ vel cognoscendæ, vel aliis tradendæ studium præ se ferunt. Mirum eos tenet odium idololatriæ; usque eò, ut cum Ethnicis ob eam causam suscipiant simultates: ipsósque parentes, si quando illos senserint cultum tribuere idolis, objurgare, atque ad me deferre non dubitent. Ego sicubi diis litatum esse rescivi, repentè advolo cum magna puerorum

rum manu. Ibi enimverò diabolus majoribus injuriis & contumeliis oneratur à pueris, quàm modò honoribus ac cæremoniis à puerorum parentibus, cognatis, notis, cultus fuerat. Ipsi enim pueri suapte sponte deorum simulacra invadunt, pro se quisque deturbant, affligunt, comminuunt, conspuntant, proculcant, omnibúsque onerant probris.

Cùm quartum jam mensem in oppido quodam Christianorum commorarer, quò Catechismum converterem; ingens indigenarum numerus ad nos undique confluebat, rogatum, ut ad ipsorum domos ire, & super ægrotos domesticos Deum orare ne gravarer. Tantáque erat etiam ipsorum ægrorum eamdem ob causam adrepentium frequentia, ut vel in recitando singulis Evangelio, satis haberem negotii. Neque tamen quotidianæ intermittebantur occupationes pueros docendi, conversos baptizandi, vertendi Catechismum, profligandi quæstiones, mortuos sepeliendi. Equidem & iis, qui me valetudinis causâ adierant, & iis qui deprecatores advenerant aliorum, satisfacere cùm optarem, ne quid videlicet remitterent de fiducia ac studio Christianæ religionis, nefas putabam tam justis postulatis deesse. Verùm, cùm res usque eò cresceret, ut ne unus omnibus satisfacere possem, nec eorum contro-

ver-

versias vitare, cùm suam quisque domum me adducere conaretur primus; rationem inii omnibus obsequendi. Itaque quoniam ipse ire non poteram, pueros idoneos meo circummittebam loco: qui ad ægros profecti, domesticos omnes ac vicinos convocabant, atque unà cum iis Symbolo pariter recitato, laborantes erigebant ad certam exploratámque salutis spem. Tum demum solemnes Ecclesiæ orationes pronunciabant. Quid multa? Deus puerorum ceterorúmque fiduciâ ac pietate adductus, ægris compluribus & corporum & animorum restituit sanitatem. Et quidem insigne existebat Dei in ægrotos beneficium. Siquidèm per morbum ipsum eos ad salutem animi vocabat, ac penè per vim ad Christi trahebat Fidem. Eosdem ego pueros in privatis tectis, viis & compitis Christianæ doctrinæ rudimenta tradere imperitis jussi. Quod præscriptum, ùt satis procedere video in uno aliquo pago: in aliú ad idem præscribendum instituendúmque demigro; atque idem deinceps vicos obeo universos. Quibus perlustratis, rursus eodem ordine per omnes in orbem noster recurrit labor. Discedens, singulis in vicis Christianæ institutionis exemplum relinquo, & simul præcipio scribendi gnaris, ut id describant; ceteris, ut ediscant, ac memoriter recitent

citent quotidie. Itemque ſtatuo, ut feſtis diebus cuncti pariter unũ in locum congregati, Chriſtianæ Fidei rudimenta decantent. Ad eam rem in ſingulis Chriſtianorum pagis, qui ſunt numero xxx. idoneos homines, qui huic muneri præſint, deſignavi. his mercedis loco Martinus Alphonſus Indiæ Prætor, idémque Societatis, reíque Chriſtianæ ſtudioſiſſimus, pro ſua erga Neophytos benevolentia, noſtro rogatu numulorum aureorum (Fanajos ipſi vocant, inſtar denariorum noſtratium) quaterna millia aſſignavit, Is planè noſtrorum hominum amiciſsimus, mirum in modum expetit aliquot è Societate huc venire: Idque ab Rege per litteras petit vehementer.

Complures his locis ob id unum modò Chriſtiani non fiunt, quòd deſint qui eos faciant Chriſtianos. Mihi verò perſæpe venit in mentem circum Europæ Academias, ac præcipuè Pariſienſem curſare, & inſani ritu paſsim vociferari; eóſque, qui doctrinæ plus habent quàm charitatis, his compellare verbis: *Heu quàm ingens animorum numerus veſtro vitio excluſus cœlo deturbatur ad inferos!* Utinam illi quemadmodum in litteras, ita in hanc quoque curam incumberent, ut reddere Deo poſſent doctrinæ, creditorúmque talentorum rationem. Enimverò iſtorum plurimi

rimi hac cogitatione commoti, appositis rerum divinarum meditationibus exercerent se, ut *audirent, quid in eis loqueretur Dominus* suisque cupiditatibus, ac rebus humanis posthabitis, se totos ad Dei nutum atq; arbitrium fingerent. Clamarent utique ax animo: *Domine ecce adsum, mitte me quocunque tibi cordi est, vel usque in Indiam.* Prô Deum immortalem, quantò lætiorem illi tutiorémque vitam viverent! quantò majore divinæ clementiæ fiduciâ summum judicii illius discrimen, quod subterfugere nemo potest, extremo spiritu subirent! Siquidem illam Evangelici servi alacriter usurparent vocem: *Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum:* Quòd si quantum dies noctésque elaborant, in comprehendenda rerum scientia, tantundem in solido scientiæ fructu elaborarent; & quam diligentiam adhibent in cognoscendis iis artibus quibus student, eam in docendis imperitis, quæ sunt ad salutem necessaria, adhiberent, næ illi haud paulò paratiores essent ad reddendam rationem Domino dicenti, *Redde rationem villicationis tuæ.* Malè metuo, ne qui tamdiu in Gymnasiis ad bonarum artiũ studia incumbunt, inania honorum ac sacerdotiorum insignia magis spectent, quàm ipsa munera atque onera, quæ illis ornantur insi-
gni-

gnibus. Video enim rem eò jam loci venisse, ut qui maximarum artium studiis dant operam diligentiùs, vulgò profiteantur, se doctrinæ laude Ecclesiasticam aliquam aucupari dignitatem, quò scilicet Christo Domino & Ecclesiæ operam navent suam. Sed profectò miseri falluntur; quippe qui studia illa ad privatam magis referunt, quàm ad publicam utilitatem. Et quoniam verentur, ne Deus ipsorum cupiditati non obsequatur, nolunt totam rem divinæ permittere voluntati. Testor Deum, propemodum me deliberatum habuisse, quoniam mihi ipsi in Europam redire non licebat, ad Parisiensem Academiam, nominatímque ad Doctores nostros Corneum & Picardum litteras dare, quibus ostenderem, quàm multa Barbarorum millia ad Christi cultum nullo negotio adduci possent, si copia esset hominum, qui non sua quærerent, sed quæ JESU Christi. Ergo fratres mihi charissimi *orate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.*

Scripsi ad vos anno superiore de Collegio quod Goæ inchoatum ædificatur strenuè. Jam magna ædium pars absoluta est. Hîc alumni complures ab Ethnicis orti variarum nationum instituuntur; quorum alii Latinam linguam, alii legendi scribendíque rationem addiscunt. His P. Paulus Collegii Rector

præ-

præeſt. Sacrum facit quotidie, eorũ confeſſiones excipit, eoſdémque ſalutaribus præceptis imbuere deſiſtit numquam. Collegium peramplum eſt: capiet alumnos ad quingentos; atque ad eos ſuſtentandos habet facultatum ſatis. Nam magna pecuniæ vi, eleëmoſynæ nomine, cùm ab aliis multis juvatur, tum verò ab Indiæ Prætore. Eſt ſanè, cur Chriſtiani omnes hoc Seminarium, quod Sanctæ Fidei appellatur, Deo gratulemur. Quippe in ſpem venimus, fore, ut intra paucos annos maximus Ethnicorum numerus, Deo approbante, ad Chriſti fidem ſe adjungat; breviq; Eccleſiæ fines, per hujus Collegii alumnos, longè latéque propagentur in Oriente.

Gens eſt in his locis ex numero Ethnicorum, quam illi Brachmanes vocant. Hi Deorum cultum ac ſuperſtitionem tuentur, templa eorum colunt, ſimulacra cuſtodiunt. Nihil illis perverſius, nihil improbius. Itaque in eos conferre ſoleo illud Davidicum: *De gente non ſancta, ab homine iniquo & doloſo eripe me*. Omnino genus eſt hominum mendax, ac fraudulentum. In eo ſunt toti, ut ſimplicem imperitámq; multitudinem quàm callidiſsimè fallant: vulgo enim Deos imperare prædicant, ut certæ res in templis offerantur; videlicet quas ipſi deſiderant, ad ſe, conjuges, liberos, familias alendas. Itaque per-

persvadent idiotis, Deorum simulacra item ut homines, prandere ac cœnare. Nec sanè desunt, qui ante prandium & cœnam, certam Idolo pecuniam offerant bis in die. Brachmanes ipsi, festo tympanorum sono epulantes, imperitis fidem faciunt, Deos epulari. Priusquam eis res necessariæ desint, populo denunciant esse iratos Deos, quòd non ea missa sint, quæ postulaverint: proinde nisi suis rationibus consulant, per cædes, morbos, dæmonum incursiones, pœnas ab eis expetituros. Ita homines creduli, objecto Deorum metu, Brachmanibus dicto audientes sunt. Brachmanes quidem homines sunt tincti dũtaxat litteris; sed quod eruditioni deest, calliditate ac malitiâ compensant. Hujus oræ Brachmanes, suas à me fraudes patefieri, scilicet indignè ferunt. Quoties mecum sine arbitris agunt, nullum habere se fatentur patrimonium, præter illa Deorum simulacra, unde fictis ad populum mendaciis cibum petant. Iidem plus me unum, quantuluscumque sum, quàm ipsos omnes scire confitentur. Mittunt mihi sæpe salutatores cum muneribus: eáque à me remitti valde dolent. Id agunt videlicet, ut donis delinitus in eorum flagitiis conniveam. Itaque exploratum sibi esse dicunt, unum esse Deum, eique se supplicaturos pro me. Quibus ego, ut re-

feram

feram gratiam, ea quæ videntur reſpondeo. Denique imperitæ multitudini, quam inſana ſuperſtitio illis addixit, eorumdem ludibria, dolos aperio, quantum queo. Quibus rebus adducti complures, repudiato deorum cultu, certatim fiunt Chriſtiani. Quòd ſi Brachmanes non obſtarent, profectò omnes ad Chriſti ſe aggregarent religionem.

Ethnici hujus regionis indigenæ vulgò rudes ſunt litterarum, flagitiorum non item. Ex quo tempore his in locis verſor, unum dumtaxat Brachmanem ad Chriſti Fidem adduxi. Is adoleſcentulus ſanè probus hoc ſuſcepit, ut Chriſtianæ doctrinæ rudimenta traderet pueris. Ego Chriſtianorum vicos circumiens, per Brachmanum ædes (Pagodes vocant) tranſire ſoleo. Itaque mihi nuper uſu venit, ut Pagodem ingreſſus, ubi erant Brachmanes ferè ducenti, eorum pleróſque haberem obvios; multis verbis ultrò citróque habitis, quæſivi ex eis, quid ipſis ſui dii præciperent ad beatam vitam. Longum inter eos certamen extitit, quis potiſsimùm mihi reſponderet: demum communi conſenſu delata res eſt ad unum ex eis, qui ceteros ætate uſúq; anteibat. Senex igitur jam octogenarius viciſsim ex me percontatus eſt, quid Chriſtianis eorum præſcriberet Deus. Hîc ego ſenis perverſitate cognitâ, negavi me verbum

bum priùs esse facturum, quàm ipse ad ea de quibus interrogatus erat, respondisset. Tum ille, coactus suam prodere inscitiam, respondit: Deos iis qui ad ipsos ire vellent, duo imperare: *Primùm, ut abstinerent cæde vaccarum, quarum specie Dÿ colerentur.* Deinde, *ut Brachmanis Deorum cultoribus benignè facerent.* Hoc ego responso commotus (magnum enim cepi animi dolorem, dæmonem à cæcis hominibus coli pro Deo) rogavi, ut me vicissim audirent, magnáque voce pronuntiavi Symbolum Apostolorum, & capita Decalogi. Inde, brevi explanatione patrio ipsorum sermone interposita, quid Paradisus esset, quid infernus ostendi; & simul qui ad beatorum cœtum evolarent in cœlum, qui ad æterna inferorum supplicia raperentur. Quibus illi auditis subitò consurgentes certatim me amplexari, Christianorum Deum verum esse profiteri, cujus leges omni ex parte congruerent rationi. Rogarunt deinde, *Num animus hominum, item ut ceterorum animantium, simul cum corpore interiret.* Suppeditavit mihi Deus tales rationes, támque illorum sensibus accomodatas, ut eis singulari ipsorum voluntate, planè probarem immortalitatem animorum. Argumenta utique, quibus idiotæ isti homines convincendi sunt, nequaquam subtilia esse oportet, cujusmodi

repe-

reperiuntur in doctorum hominum libris, sed ipsorum ingeniis consentanea. Sciscitati sunt rursus, *quâ morientis animus exiret: quî fieret ut in somnis* (id quod mihi ipsi sæpe usu venit, Fratres charissimi, cùm vos somnio) *cum amicis notisq; versari nobis videamur? Num quia animus exiliat è corpore?* Denique *albus ne, an ater sit Deus.* Nam, cùm tanta cernatur in hominibus colorum varietas, Indi (utpote qui naturâ nigri, suum ceteris anteponunt colorem) deos atros esse arbitrantur. Quocircà pleraque eorum simulacra admodum atra sunt, ut subinde peruncta oleo gravem halent odorem: adeò ut non minùs tetram speciem præferant, quàm fœdam & horrendam. Ad hæc ego ita eis respondi, ut planè acquiescerent. Verùm urgenti mihi ad extremum, ut amplecterentur religionem, quam veram esse sentirent; opponebant id, quod inter Christianos quoque multi solent, sermonum materiam hominibus se daturos, si vitæ rationem religionémque mutassent, simul verendum esse dicebant, ne ad victum cultúmque necessaria sibi deessent, religione mutatâ.

Unum omnino Brachmanem nactus sum in hac ora maritima eruditum, qui in celebri ac nobili Gymnasio institutus ferebatur. Itaque dedi operam, ut convenirem hominem

nem ſine arbitris. Is mihi demum tamquam arcanum quoddam indicavit; *Primùm omnium illius Academiæ diſcipulos à magiſtris adigi ſacramento, ne ipſorum myſteria enuncient.* Verumtamen ea ſe mihi pro amicitia indicaturum. Unum ex myſteriis illud fuit; *Unum eſſe Deum, cœli terræq́ Conditorem ac Dominum, illúmq́ ab ipſis coli oportere. Nam idola nihil aliud eſſe, quàm dæmonum ſimulacra.* Habent Brachmanes quædam veluti ſacrarum monumenta litterarum, quibus divinas leges contineri ferunt. Linguâ in docendo magiſtri utuntur reconditâ, cujusmodi eſt apud nos Latina. Expoſuit idem mihi cum appoſita explicatione divina illa præcepta ſigillatim, quæ & longum, nec operæ pretium eſſet perſcribere. Sapientes diem, quem nos Dominicum appellamus, feſtum agitant. Quo die hanc unam precationem identidem ſuâ linguâ uſurpant: *Veneror te Deus, tuámque opem in perpetuum imploro.* Hanc precationē jurisjurandi religione adſtricti, ſubmiſſâ admodum voce iterant ſæpius. Idem adjecit: *Uxorum multitudinem ipſis naturæ lege permitti; atque in ſuis litterarum monumentis eſſe, tempus aliquando fore, cùm mortales unam omnes religionem amplecterentur.* Poſtulavit denique, ut ego viciſſim præcipua Chriſtianæ diſciplinæ myſteria enuntiarem

sibi, pollicens ea se silentio esse tecturum. Tum ego verbum me facturum negavi, nisi antè promitteret, se, quæ de Christiana religione dixissem, indicaturum in vulgus. Itaque cùm vulgaturum recepisset, ego diligenter explanavi illam Christi vocem, in qua summa nostræ religionis consistit: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Hoc ille dictum unâ cum explicatione, quæ totum Symbolum Apostolorum amplectebatur, retulit in commentarios. Decalogi etiam præcepta propter eam, quam habent cum Symbolo conjunctionem, adjecit. Narravit inde, somniasse quadam nocte, se magna cum voluptate factum Christianum; mihíque socium atque comitem accessisse: proinde rogavit me, uti clàm se Christianis Sacris initiarem. Sed quoniam conditiones quasdam contra jus fásque imponebat, supersedi eum baptizare. Nec dubito, quin Dei benignitate Christianus aliquando sit futurus. Monui hominem, ut Idiotas atque imperitos doceat, *Unum esse Deum, cœli terræq; procreatorem, regnantem in cœlo.* Verùm ille jurisjurandi religione obstrictus, negavit sibi integrum esse, cùm præsertim extimesceret, ne propterea opprimeretur à dæmone.

Hisce de rebus, quod scribam præterea nihil habeo, nisi tantam esse vim & copiam

ga

gaudiorum, quæ Deus suis hujúsce vineæ operariis in hac barbarie excolenda sedulò laborantibus elargiri solet, ut si qua vera est ac solida in hac vita jucunditas, hæc una mihi esse videatur. Soleo sæpenumerò quemdam in his laboribus versantem audire, cùm dicat: *Quæso te Domine, noli me tantâ lætitiâ perfundere in hac vita, aut certè quando pro tua infinita bonitate ac misericordia perfundis, transfer me in domicilium Beatorum. Siquidem, qui tuam semel dulcedinem interiore gustavit sensu, vitam sine tuo aspectu acerbam putet, necesse est.*

Genus est delectationis meæ identidem cogitare de vobis, charissimi Fratres, déque vestra jucundissima familiaritate, qua me Deus pro sua immensa benignitate, dignatus est. Eâdem enim operâ mecum reputo, ac planè sentio, quantum olim temporis frustrà contriverim, qui ex vestra sanctissima consvetudine, rerúmque divinarum notitia, tam exiguum ceperim fructum. Vobis profectè deprecatoribus hoc in me tantum Deus contulit beneficii, ut quamvis absens corpore, intelligam vestro studio ac deprecatione infinitam delictorum meorum multitudinem mihi divinitus ostendi, atque ad has Ethnicorum regiones strenuè colendas animos ac vires addi. Quamobrem ingentes divinæ benigni-

nignitati charitatíque vestræ gratias ago. Ex multis autem ac magnis hujus vitæ fructibus, quos adhuc Dei beneficio cepi, & quotidie capio, illum enimverò duco maximum; quòd nostræ Societatis Institutum Pontificis Maximi auctoritate comprobatum confirmatúmque esse cognovi. Immortales Deo gratias & ago & habeo, qui, quam vitæ rationem servo suo Parenti nostro Ignatio clàm ipse præscripserat, eam aliquando per suum Vicarium palàm stabiliri voluit, ad memoriam posteritatis sempiternam. Atque hîc ego finem scribendi faciam, Deum obsecrans, ut quoniam nos (quæ ejus benignitas est) morum Societate junxit, idémque rei Christianæ causâ tanto locorum disjunxit intervallo; rursus nos congreget in sede ac domicilio Beatorum. Ad id impetrandum, deprecatores inter alios (si placet) adhibeamus animos infantium ac puerorum, quos mea manu baptizatos, priùs quàm innocentiæ amitterent stolam, Deus ex hisce locis ad cœleste domicilium evocavit. Hos ego ampliùs mille fuisse arbitror, quos etiam atque etiam rogo, quæsóque, uti hoc nobis à Deo impetrent, ut in reliquum vitæ hujus, aut magis exilii tempus, doceat nos facere voluntatem suam; sic prorsus, ut quæcumq; requirit à nobis, haud secùs quàm ipse velit, exequamur.

Pri-

Pridie Idus Januarii Anno M. D. XLIV.
Cocini.

# EPISTOLA VI.
## Francisco Mansillæ, in oram Piscariam.

Summarium. *Hortatur ad strenuè laborandum, & præcipuam quamdam operam parvulis, egentibus, ac ægris impendendam. Egregiæ charitatis præbet Exemplum.*

*Gratia & charitas D. N. &c.*

MAgnopere à te quæso, frater charissime, istam ut oram continenter peragres, vicatímque obeas, infantes baptizando, ceterósque erudiendo. Viros autem omnes separatim ac mulieres convenire, & Catechismum pariter recitare, idémque privatim suæ quemque domi factitare jubeas. Cavebis omnino, ne uspiam diutiùs commoreris; sed loca ista omnia identidem lustrabis, item ut ego faciebam, cùm isthic essem, & nunc quoque hîc, ubi sum, facio, etsi caream interprete: ex quo profectò cujusmodi vitam ducam, quos tandem sermones habeam, facilè existimare potes. Verumtamen baptizo infantes; neque enim ad eam rem interpretem desidero: egentium commodis consulo, qui suas miserias, atque egestatem facilè osten-

dunt ſine interprete. Illud à te majorem in modum peto quæſoque, ut infantes baptizare, pueros inſtituere non deſiſtas. Nam ut grandiores ac parentes cæleſti beatitudine excidant, eorum quidem certè liberi ac pueri fruentur, qui priùs hujus lucis uſuram, quàm baptiſmalem innocentiam amittent.

Simul ac primùm Neophyti à piſcatione margaritarum domum reverterint, ægros, ſi qui erunt, inviſes, eiſque res curabis neceſſarias; & ſimul ſuper eoſdem pueri certas precationes, tu verò Evangelia (quod me factitare vidiſti, cùm iſtis in locis eſſem) recitabis. Ego ad Comorinum Promontorium contendo, eóque naviculas deduco xx. cibariis onuſtas, ut miſeris illis ſubveniam Neophytis, qui Bagadarum acerrimorum Chriſtiani nominis hoſtium terrore perculſi, relictis vicis, in deſertas inſulas ſe abdiderunt; ibique in ſcopulis ſubire coguntur ardorem Solis, extremámque famem ac ſitim. Quocirca etiam nonnulli ærumnis confecti pereunt, quorum caſus mirum in modum meum pectus effodit. Oro te etiam atque etiam, Deum pro nobis deprecari non deſinas. Iſtius oræ Pantagatinis, ac Magiſtratibus eas literas mitto, quibus eos hortor, ut miſeros illos ſuis eleëmoſynis juvent. Tu velim efficias, ut ea pecunia non exprimatur ab invitis atq; pauperi-

peribus; ſed à volentibus ac pecunioſis conferatur, ut in ſtipe corroganda & voluntas ſpectetur erogantium, & facultas. Vale.

## EPISTOLA VII.

### Eidem.

Summarium. *Operarium variarum virtutum præceptis inſtituit: monet ſe in Travancoridis regnum proficiſci: præ divini honoris zelo mavult mori, quàm videre Dei injurias, quas prohibere non poſſit.*

SUmmopere te oro atque obſecro, Frater chariſsime, ut erga iſtam nationem (præſertim verò adverſus adultos, & grandes natu) benevolentiam & charitatem præ te feras non vulgarem, téque viciſsim diligi ab omnibus & amari velis. Sic enim habeto, ſi ab eis diligaris, fore ut iſtorum animos flectas, quocumque libitum erit. Itaque eorum imbecillitatem infirmitatémque moderatè ac ſapienter feres, atque illud tecum animo reputabis, ſi minùs tales nunc ſint, quales eſſe velis, certè aliquando futuros. Quod ſi quicquid velles, nequiveris ab eis impetrare, accipies quod datur; quod idem me facere ſolitum non ignoras. Hoc autem erga illos animo eris, ut talem eis te præbeas, qualem bonus pater improbis filiis; ut numquam eis conſulere deſinas, quamvis cernas multis

eos vitiis coopertos. Siquidem DEUS ipse etsi ab illis & à nobis sæpe læsus, non desistit tamen suis omnes beneficiis cumulare; cùmque perdere nos suo jure posset, tamen pro sua clementia in nostris delictis sæpius connivet, in difficultatibus subvenit, *ut vincat in bono malum*. Tu igitur, si non poteris quod voles, velis quod poteris; quandoquidem per te non stat, quò minùs quantum velles proficiatur. Quòd si quando videbis, te ita multis distineri negotiis, ut par esse nequeas universis; quantum efficere poteris, tantum efficies, eóque contentus eris: atque etiam Deo gratias ages hoc ipso nomine, quòd in ea te deduxit loca, ubi scilicet propter divinorum negotiorum multitudinem, otiosus ut maximè velis, esse non possis otiosus, quod in magnis utique Dei beneficiis numerandũ est. Finge te esse in Purgatorio, tuorum delictorum luentem pœnas: feliciter planè tecum actum putabis, cui Deus Purgatorii ignis cruciatum cum istius vitæ molestiis cõmutarit. Quod si fortè ptopter hominum improbitatem lenitas minùs proficiet, adhibe interdum aliquid severitatis: misericordiæ enim est, reprehendere errantes: sic enim habeto, magnum peccatum esse, peccantes, cum aliorum præsertim offensione, non castigare. Haud qnaquam tamen istos nunc,
diffi-

difficillimo suo tempore, aut umquam omnino deseras censeo. Pueros alumnos disciplinæ tuæ, nunc ut cùm maximè à Deo petere jubebis, ut præsidio auxilióque sit nobis; quippe qui in his locis, præter divinum præsidium, præsidii habemus nihil. Nam si vera est, ut est, illa Veritatis vox; *Qui non est mecum, contra me est*; quis non videt, quàm nudi ab omni humano simus auxilio, cùm tam pauci nobiscum sint, qui nos juvent in his populis ad Christi fidem adducendis? Nec tamen cadendum est animis. Deus enim cuique, prout meritus erit, refert gratiam; & scilicet æquè per paucos, ac per multos res moliri, quamvis magnas, potest. Verùm magis vicem doleo, quàm pœnam expeto illorum, qui sunt contra Deum. Quippe Deus ipse suapte sponte facturus est denique, ut graviſsimè inimicos ulciscatur suos: quod satis apparet in iis, qui apud inferos sempiternis pœnis suppliciisque mactantur.

Ego Travancoridem peto, ut Prætorem conveniam. Ad Promontorium usque Comorinum terrâ iter faciam; Christianorúmque vicos ex itinere obiens, Baptismo abluã infantes. Tu velim Deum pro me multùm deprecere, idémq; à pueris Christianæ disciplinæ alumnis faciendum cures. Hoc ego septus præsidio, facilè ea pericula conte-

mnā, quibus me amici à terrestri itinere deterrent, denunciantes, per infestam nomini Christiano, mihique ipsi maximè, regionem esse transeundum. Sed narro tibi; tædet me interdum vitæ, ac satius esse arbitror, pro religione mortem oppetere, quàm in tot tantísque divini Numinis contumeliis vivere, cùm præsertim eas non possim non videre, prohibere non possim. Ego verò istiusmodi res ne viderem, aut audirem, in Æthiopiam demigrarem, atque in fines Præsteiannis, ubi tam egregiè Deo navari opera potest adversante nemine. Verùm nihil me tam malè habet, quàm quòd minùs acriter obstiterim iis, à quibus scis cœleste numen violari. Deus illis pro summa sua clementia ignoscat velim; eumdémque ut tecum maneat, me comitetur, oro quæsóque. Vale IV. Idus Novembris. Manaparo.

## Epistola VIII.

Societati Romam.

Summarium. *Declarat veræ amicitiæ vim. Exponit, quâ ratione barbaros doceat, & confirmet Neophytos. Narrat complures Fidei causâ in Manaria, in Ceilano filium regis, non sine prodigiis, interfectum: à Macazariensibus doctores Evangelicos expeti. Invitat Socios ad amplam animarum messem.*

*Gra-*

## *Gratia & Charitas D. N. &c.*

DEus mihi conſcius eſt, quantò libentiùs vos viderem, quàm hanc vobis tam incertam propter locorum intervalla Epiſtolam ſcriberem. Nec verò, quia conjunctiſſimorum animorum corpora Deus pænè infinito diſtraxit ſpatio, corporum diſiunctio quicquam de amoris mutui vinculis laxat, quibus adſtricti ſumus. Nam etſi non unà verſemur, uti ſolebamus; tamen perpetuò ferè nos inter nos mentis oculis cernimus. Tanta enim eſt veræ germanæque amicitiæ vis, ut amici abſentes adſint, mutuóque aſpectu & conſvetudine fruantur. Hæc mea ſociorum omnium tam continua memoria vobis potiùs accepta eſt referenda, quàm mihi. Siquidem veſtræ preces ac ſacrificia, quæ pro me homine nequam aſsiduè facitis, tantam hanc excitant in me veſtri memoriam ac deſiderium. Vos inquam, vos chariſsimi Fratres, in animo meo veſtras imprimitis ſpecies. Quòd ſi mea veſtri memoria tanta eſt, fateor veſtram mei longè eſſe majorem. Deus vobis pro veſtro merito gratiam referat: nam ego non aliâ ratione poſſum vobis ſatisfacere, quàm profitendo me veſtris meritis ſatisfacere nullo modo poſſe, cùm planè animo videam, quantum omnibus noſtræ Societatis hominibus debeam.

In

In hoc Travancoridis regno, ubi verſor(ut aliquid de rebus Indicis ſcribam, quarum vos avidiſsimos eſſe certè ſcio) plurimos Deus ad Chriſti Filii ſui adduxit Fidem. Menſis quippe unius ſpatio amplius decem hominum millia Chriſtiana feci: quâ in re hanc tenebam rationem. Ethnicorum pagos, quò Baptiſmi cauſâ vocabar, ubi primùm attigeram, viros, feminas, pueróſque unum in locum cogi imperabam. Tum à primis Chriſtianæ fidei elementis exorſus docebam, unum eſſe Deum Patrem Filium & Spiritum ſanctum: & ſimul tribus perſonis, unóque Deo invocato, ter ſe quemqne ritè ſignare jubebam cruce. Deinde linteatus generalis confeſſionis formulam, Symbolum Apoſtolorum, Decalogum, Pater noſter, Ave Maria, & Salve Regina, ipſorum linguâ (haſce enim precationes ab hinc biennio converſas memoriæ commendâram) magnâ voce illis præibam; ſic ut omnes, cujuſque ordinis & ætatis, præeuntem ſequerentur. Symboli inde capita, & præcepta Decalogi patrio ipſorum ſermone explicabam breviter. Ubi ſatis ad Baptiſmum eruditi videbantur, præcipiebam eis, ut cuncti publicè à Deo veniam peterent anteactæ vitæ, ídq; clarâ voce, ac præſertim iis qui abhorrebant à Chriſtiana religione; ad improborum videlicet permotionem, &

con-

confirmationem bonorum. Demirantur ſcilicet Ethnici divinæ Legis ſanctitatem, ſéque tam diu ſine veri Dei notitia vivere erubeſcunt. Chriſtiana myſteria atque inſtituta audiunt perlibenter: mihíque ipſi homini nequam magnum honorem habent: complures tamen obſtinatis animis cognitam reſpuunt veritatem. Simul ac peroravi, percontor ſigillatim ab iis qui Baptiſmum expetunt, utrùm ſingulis Fidei capitibus ſine ulla dubitatione aſſentiantur. Continuò illi brachiis, in crucis figurâ compoſitis, unâ omnes voce clamitant, ſe verò penitus aſſentiri. Tum demum eos ritè baptizo, ac ſuum cuique nomen trado ſcriptum in chartula. Illi ſub Baptiſmum, ſuam quiſque domum digreſſi, ſuas conjuges ac familias ad me Baptiſmi gratiâ adducunt. Baptizatis omnibus, cuncta deorum fana diſturbari, ſimulacra cõminui ſtatim impero. Nullis verbis aſſequi poſſem eam, quàm ex ejuſmodi ſpectaculo capio voluptatem; cùm videam everti frangíque idola ab iis, qui modò erant idololatræ. In oppidis pagíſque ſingulis Chriſtianam inſtitutionem ipſorum linguâ conſcriptam relinquo, & ſimul præcipio quemadmodum ea ſit tum ante meridianis tum pomeridianis ſcholis tradenda. Id ego ubi in uno aliquo pago perfeci, ad alium demigro, ac deinceps in

alios

alios. Ita omnem regionem circumiens, incolas ad Christi compello gregem, & quidem majore cum gaudio, quàm ut per litteras, aut coràm explicare queam.

Manaria insula hinc abest millia passuum circiter CL. ejus incolæ certos ad me homines allegârunt rogatum, ut quoniam vellent fieri Christiani, ad eos baptizandos proficisci ne gravarer. Ego cùm gravissimis negotiis, maximéque ad remChristianam pertinentibus distinerer, ire ipse non potui. Itaque certum exoravi Sacerdotem, ut iret meo loco quàm primùm ad illos Baptismo expiandos. Jamque is plurimos baptizârat, cùm Rex Jafanapataniæ, in cujus ditione insula est, complures Neophytos, quòd Christiani facti essent, crudelissimè necavit. Gratulandum est Christo Domino, qui ne nostrâ quidem tempestate sinit desiderari martyres. Et quoniam divinâ benignitate atque indulgentiâ tam paucos uti videt ad salutem, pro sua singulari providentia permittit, ut per humanam crudelitatem expleantur destinatæ sedes, ac numerus beatorum. Scripsi ad vos anteà, Prætor Indiæ quàm amicus mihi sit, Societatique universæ. Is miserabilem Neophytorum cædem usque eò graviter atq; indignè tulit, ut simul atque super hac re agere cum eo cœpi, validam classem ad tyranni

ni illius perniciem adornari jusserit. Itaq; necesse fuit, justam ejus iram per me ipsum mitigari. Rex ille Christianorum interfector germanum habet, verum regni illius heredem, sed fraternæ crudelitatis metu exulantem. Is si armis à Prætore restituatur in Regnum, pollicetur se cum Regni Principibus fore Christianum. Quocircà Prætor mandavit Ducibus suis, ut ei, si Christiana sacra susceperit, Regnum restituant, Regem Neophytorum carnificem occidant, aut ad meum arbitrium tractent. Equidem non diffido fore, ut tum Dei clementiâ, tum eorum, quos martyrio affecit, deprecatione, scelus agnoscat & cæcitatem suam, actáque salutari pœnitentiâ, veniam aliquando impetret à Deo tam nefariæ crudelitatis.

Ceilanus insula est ab Indiæ continenti millia passuum circiter cxx. quò ego nuper Francisco Mansillâ comite profectus sum. Hîc Dynasta Regis filius, idémque Regni heres statuerat fieri Christianus; quod ubi Rex cognovit, hominem confestim interfici jussit. Narrant qui præsentes cædi affuerunt, ab se in cœlo igneam esse visam crucem, & ubi ille cæsus sit, in hiatu terræ figuram crucis animadversam; complures incolarum, qui illa portenta conspexerint, ad Christiana sacra spectare. Hujus Dynastæ, quem dixi, frater,

iisdem

iisdem permotus prodigiis, Sacerdotem quēdam exoravit, ut se salutari ablueret aquâ. Jamque ad Prætorem Indiæ confugit, petitū auxilium contra Regem, qui germanum suū necavit. Cum hoc ego in itinere collocutus, ex ejus sermone magnam concepi spem, brevi Regnum illud Christi fidem secuturum. Nam & populus monstris illis ac signis valde cōmotus est, & Regni hereditas eidē Dynastæ venit, qui nuper estChristianis sacris initiat9.

In regno Macazariensi (id abest à Travancoride leucas ferè quingentas) octo ab hinc mensibus tres Dynastæ cum aliis plurimis ad Christum aggregârunt sese. Hi Malacam, urbem Lusitanæ ditionis, certos homines miserunt, qui postularent idoneos viros, à quibus divinâ Lege imbuerentur. Confirmarúntque se, qui adhuc vixissent pecudum ritu, post hac Dei notitiâ cultúque imbutos, hominum esse more victuros. Urbis Præfectus Sacerdotes aliquot ad eos misit, qui id muneris obirent. Vel hinc, Fratres charissimi, intelligere potestis, quantos hîc silvestris ager, & quàm uberes spondeat fructus. Equidem spero pro hujus regionis præparatione, & quasi segete, me hoc anno ad centū Christianorum millia esse facturum. *Rogate Dominum messis, ut mittat operarios in vineam suam.* Si qui divini cultus augendi, re-

ligi-

ligionisque propagandæ studio in hæc loca, ubi *campi jam sunt albi ad messem*, venerint, non humaniter modò accipientur à Lusitanis, sed etiam benignè; sic prorsus ut omnia eis necessaria abunde suppetant. Quippe Lusitana gens usque eò est avida Christianæ Fidei amplificandæ, ut si nihil aliud, certè tam pium eorum studium, ac tam propensa erga nostram Societatem voluntas complures vestrûm huc pertrahere deberet. Nunc autem quid vos facere oportet, cùm harum gentium animos tam paratos ad Evangelii semen excipiendum videatis? DEUS vobis sanctissimam suam aperiat voluntatem, & ad eam exequendam vires atque animos addat, idémque pro sua providentia vestrûm huc mittat quamplurimos. VI. Kalendas Febr. anni post Christum natum M.D.XLV. Cocino.

## EPISTOLA IX.

### Francisco Mansillæ.

Summarium. *Mansillam monet de Tyranno pœnas repeti: in Travancoridem evocat, jubétque ex lætis nunciis gaudere.*

*Gratia & Charitas D. N. &c.*

AD XVII. Kalen. Januar. Cocinum appuli. Quò priùs quàm pervenirem, Machoas piscatores propè omnes, qui in Travancoridis regno sunt, Baptismo expiavi. Ac mihi qui-

quidem optatius fuiſſet, eodē quamprimùm reverti, ad eos, qui reliqui ſunt, baptizandos: verùm Michaël Vaſæus, Vicarius generalis, magis è re Chriſtiana eſſe cenſuit, me ipſum ad Proregem adire, & cum eo agere, ut de rege Jafanapatanio meritas repetat pœnas pro crudelitate, quam in Neophytos nuper expromſit. Itaque biduo triduóve Cambajam verſus, ubi nunc Prorex verſatur, proficiſcar. Brevì me Deo juvante rediturum confido, negotio ex ſententia confecto. Interim te, Frater chariſsime, per Deum oro atque obſecro, ut hiſce litteris perlectis, ſtatim huc ad Travacoridis Neophytos excolendos advoles. In pagis ſingulas ſcholas Chriſtianæ diſciplinæ inſtituas cenſeo: ex itinere Macuchum oppidum, quod in Comorino Promontorio ſitum eſt, Baptiſmo abluas. Id à me oppidani ſæpius ſummis precibus contenderunt: verùm mihi per occupationes ad eos numquam licuit accedere.

Læto atque hilari animo te eſſe jubeo; optatiſsimos ex Luſitania nuncios ac litteras accepimus. Rex ipſe ad me ſcripſit, duos nobis ſocios ſubſidio venire, Nicolaum Lancellotum, & Antonium Criminalem, Italum utrumque. Utriuſque virtuti præclarum dat teſtimonium. Mihi quidem neuter eorum notus eſt: neque enim ex numero ſunt

eo-

eorum, quos discedens reliqueram in Lusitania. Deus pro sua benignitate in Indiam illos perducat incolumes. Afferuntur etiam litteræ, quibus tibi potestas fit Sacerdotii suscipiendi. Faxit Deus, ut ea res & ad suum honorem, & ad animorum salutem referatur. Vale.

## EPISTOLA X.

### R. P. Ignatio Lojolæ Præposito Gener. Societatis JESU, Romam.

Summarium. *Urget, quæ abhinc biennio postulavit. Ostendit Socios, qui in Europa penè inutiles sunt, in India perutiles fore, modò polleant virtute & robore: horum expertem, scilicet, precibus commendat se. De rebus Societatis litteras petit. Quærit de amico,*

*Gratia & Charitas D. N. &c.*

CUm omnibus Collegii S. Fidei studiosis, tum verò Prætori, qui studio vincit omnes, ut morem geras, te oro atque obtestor per Deum; nimirum, ut si fieri potest, mittas aliquando ad nos illa, quæ tibi mandarunt: Diplomata, inquam, quæ te à Pontifice Max. curare voluerunt, ut Aræ maximæ hujus Collegii facultas detur unius animæ ex Purgatorio liberandæ, quoties ad eam Sacrū fiat pro mortuo, cum ea conditione, quam ab

ab hinc biennio ad te ſcripſi, Prætoris nomine. Cetera item expectamus, de quibus tum ejuſdem juſſu ad te litteras dedi.

Socii neque audiendis confeſſionibus, neque Concionibus habendis, neque ceterisSocietatis muneribus obeundis idonei, poſt legitimam meditationum exercitationem, & menſes aliquot in humilibus abjectiſque miniſteriis exactos, magno uſui eſſent hiſce in locis, ſi corporis robore pariter & animi virtute pollerent. Nam in his Ethnicorum terris doctrina minimè eſt neceſſaria: ſat eſt, non eſſe planè rudem litterarum, ut pueris atque idiotis ſolemnes precationes tradere, oppidáque & vicos obeundo, infantes modò natos baptizare norint. Horum quippe multi pereunt ſine Baptiſmo, quòd tam multis támque diſiunctis inter ſe locis adeſſe nequeamus in tempore. Proinde ex iſtiuſmodi hominibus parum iſtic appoſitis ad Societatem, quos videris aptos ad circumeunda hæc loca infantes baptizando, & Catechiſmum tradendo idiotis, huc ad nos mittito; hîc enim egregiè operam locabunt ſuam. Hos ego magnis corporis viribus, & patientes laboris eſſe volo: quoniam hæc terra laborioſiſſima eſt, tum propter maximos calores, tum verò propter ſalubrium aquarum inopiam, alimentorúmque tenuitatem. Alimenta quip-

quippe ſunt oriza, piſcis, & lac, præterea nihil. non panis hîc eſt, non vinum, non cetera quibus iſthic abundatis. Adoleſcentes igitur ac ſanos, non imbecillos ac vetulos deſidero, ut aſsiduum baptizandi, docendi, circumcurſandi laborem perferant; cùm præſertim ſæpè non modò recentes baptizari infantes, ſed etiam Chriſtianos ab Ethnicorum furore ac rabie prohiberi oporteat. Nonnunquam etiam ſingulari Dei beneficio ejuſdem causâ capitis diſcrimen eſt ſubeundum, quod ſalvâ charitate vitari non poteſt. Sed meminiſſe debent, nos natos eſſe mortales: nihil autem optabilius Chriſtiano, quàm mortem oppetere pro Chriſto. Quamobrem oportet eoſdem animi robore ac divinâ virtute ſeptos eſſe. Et quoniam ego ejuſmodi roboris ac virtutis expers in ea loca proficiſcor, ubi vel maximè indigeam cœleſti ope, te per Deum ejuſdémque cultum obteſtor, ut in tuis ſacrificiis mei nominatim ipſe recorderis; méque inſuper univerſæ Societatis precibus muniendum ſedulò cures. Sic enim mihi perſvadeo, tuâ ac Societatis deprecatione multis magníſque periculis eſſe me divinitus ereptum. Hæc eò ad te ſcribo, ut intelligas cujuſmodi viris opus ſit. Verumtamen ſi quos videris, viribus quidem ad ea quæ dixi incommoda ſuſtinenda ſatis præditos, ceterùm

rùm ad vitæ pericula adeunda parum alacres ac paratos, mittas tamen velim. Neque enim desunt regiones, ubi sine capitis periculo operam dent rei Christianæ. Ac memento, ad venandos hosce Ethnicos haudquaquã opus esse multis litteris. Nimirum istiusmodi hominibus, ubi aliquot annos erunt in his locis versati, satis virium atque animorum ad majora opera addetur divinitus. Aptos quoque confessionibus excipiendis, tradendísque exercitiis spiritualibus, etsi majori labori ferendo non sint, mittas licebit: hi enim aut Goæ, aut Cocini habitabunt; quibus in civitatibus & magnoperè juvare poterunt rem Christianam, & ipsi omnium rerum, item ut in Lusitania habebunt copiam: etenim, vt illæ urbes Lusitanorum familijs frequentantur, imbecillitatis morborúmque subsidia vtique non deerunt: est enim utrobique & Medicornm & medicamentorum satis. At ceteris in locis, quæ Lusitani non incolunt, cujusmodi sunt ea quæ nos in præsentia peragramus, ægrotantium auxilia suppetunt nulla. In utraque earum civitatum quas modò dixi, civibus exercitiorum spiritualium usu excolendis præclarè opera navari potest.

Ab hinc quadriennio solvimus ex Lusitania, ex quo tempore unam omnino abs te episto-

piſtolam ab urbe, à Patre Simone è Luſitania duas accepi. Valde aveo mi Pater, de te ceteríſque Sociis quotannis aliquid cognoſcere. Non dubito quin ſingulis annis des aliquid ad me litterarum, ſicut ego ad te dare ſoleo: ſed vereor, ne utriſque intercidentibus epiſtolis, ſicuti ego tuas, ita tu viciſsim deſideres meas. Duo è Societate hoc anno veniebant in Indiam; ſed navis, qua vehebantur, nondum tenuit Goam: utrùm in Luſitaniam reverterit, an Mozambici (in qua inſula naves Luſitanæ hibernare ſolent) hiemaverit, neſcio.

Pervelim ſcire, utrùm vetus ille amicus noſter mulâ vehatur. Nam ſi etiamnum vehitur, ſimiliter ut cùm hominem iſthic reliqui, magnam ejus imbecillitatem eſſe oportet, qui tot Medicis ac medicamentis nondum perficere potuerit, ut pedibus ingrediatur ſuis. Novi ad te quod ſcribam nihil habeo, niſi ut huc ad nos mittas quamplurimos, quando hîc eſt tanta operariorum penuria. Deum oro, ut ſi numquam poſthac nos inter nos in hac vita viſuri ſumus, certè in beata illa cum majore, quàm hîc eſt, quiete reviſamus. VI. Kalendas Februarias anni M.D.XLV. Cocini.

EPI-

# EPISTOLA XI.

## P. Francisco Mansillæ, in Promontorium Comorinum.

Summarium. *DEO sine rerum discrimine impigrè parendum: cœptis alacriter insistendum: laboris socios liberali charitate tractandos.*

*Gratia & Charitas D. N. &c.*

EGo verò libentiùs coràm quàm per litteras tecum, Frater charissime, agerem, quemadmodum te isthic Deo & Neophytis operam dare velim. Atq; hoc eò scribo, quòd Deus quid me facturus sit nescio. Utinam nobis ipse pro sua benignitate ostendat, quid sui consilii sit ac voluntatis; ut quoniam nos ad nutum voluntatémque suam semper paratos esse jubet, ad eam, simul atque apparuerit, nos totos impigrè conformemus. Nimirum in hac vita tamquam advenas & peregrinos esse nos oportet, atque in omnes partes, quocumque ille vocaverit, paratos atque expeditos.

Exploratum habeo, in Macazaria magnam esse populorum erga Evangelium propensionem: Sacerdotum operariorúmque penuriam obstare, quò minùs omnes ferè ad Christi ovile aggregentur. Nondum constitui quid optimum factu sit. Si fortè hanc mihi Deus

Deus mentem injecerit, ut ego ipse eò me conferam, Comorinenses Neophytos tuæ commendo fidei. Simul te moneo, ne pagos omnes continenter obire, baptizare infantes, pueros ac reliquos docere desistas umquam. Fac apud te sis, & Sacerdotes istos Malavares, socios laboris, quàm humanissimè tractes, summáque complectaris charitate. Quod tibi tantoperè mandavi, id perpetuò meminisse te volo: Deum, ut tibi æquè ac mihi semper præsidio sit, vehementer etiam atque etiam oro. VII. Idus Aprilis. Nègapatone.

## EPISTOLA XII.

### PP. Jacobo Borbano, & Paulo Camerti, Moderatoribus Collegij Goani.

Summarium. *Agit de irrito in Tyrannum conatu: de singulari animi sui lætitia in Æde S. Thomæ Apostoli: de socijs apud Comorinenses; de fiducia Dei: de necessarijs ad iter in Macazariam: de sociorum, qui advenerint, occupationibus. Litteras de Macazaria, quò pergit, pollicetur.*

*Gratia & Charitas D. N. &c.*

JAfanapatania expeditio ad nihilum recídit. Itáque in regnum suum non est restitutus Rex ille, qui pollicitus erat fore se

Christianum. Totam rem casus impedivit. Navis Regis Lusitaniæ, è Regno Peguano mercibus onusta Indiam repetens, vi tempestatis in Jafanapatanij regni fines appulsa est: ejus merces continuò Rex invasit. Placuit Lusitanis quoad amissa recuperassent, bello supersederi. Ita factum non est, quod Prætor fieri jusserat: verùm si Deo cordi erit, fiet. Negapatone sedi aliquot dies: demum ventus reversioni adversus, meum iter avertit. Itaque casu in consilium verso, contuli me ad oppidum S. Thomæ: in sanctissima illa Apostoli Æde assiduis precibus obsecrare institi Deum, ut mihi voluntatem aperiret suam, cui non deesse, fixum ac deliberatum haberem. Confidebam scilicet fore, ut *qui dedit velle, daret etiam perficere*. Hìc igitur ille pro sua insita misericordia recordatus est mei. Magnâ enim animi lætitiâ perfusus, velle Deum sensi, ut Malacam, inde Macazariam peterem, ubi nuper indigenæ ad Christum se adjunxerunt plurimi; ibique Neophytos illos in suscepta religione confirmarem. Proinde Christianæ Fidei rudimenta atque præcepta, cum brevi eorum explicatione, in ipsorum linguam vertenda curavi. Par est enim, qui suâ sponte facti sint Christiani, hos à nobis omni ope juvari; atque ut Fidei incrementum, & vires ad divinam legem ser-

vandam necessarias petant à Deo, precationes in suum sermonē conversas in promptu habere: maximè verò formulam Confessionis generalis. Ea quippe, sua quotidie Deo peccata confitentibus, erit Confessionis Sacramentalis loco, quoad Sacerdotum Macazaricæ linguæ peritorum sit copia.

P. Franciscus Mansilla, cum Sacerdotibus aliquot Malavaribus apud Christianos Comorinenses manet. Vbi autem illi sunt, mea haud quaquā desideratur opera. Patres, qui ad Mozambicum hiemarunt, cum alijs quos hoc anno exspectamus, Ceilanios Dynastas domum redeuntes sequentur. Equidem spero, mihi in hoc itinere Deum permagno auxilio futurum. Siquidem, ut dixi, tanto cum animi mei sensu gaudióque, quid potissimùm à me requirat, non est gravatus ostendere. Mihi verò adeò certum ac fixum est perficere, quod divino instinctu concepi, ut si fortè id prætermitterem, viderer planè mihi pugnare cum Deo, neque in vita, aut post mortem quicquam jure sperare jam posse. Itaque si fortè hoc anno deerit Lusitani navigij facultas, Saracenæ aut Ethnicæ navi Malacam petenti committere me non verebor. Tantámque habeo Dei fiduciam (cujus unius causâ hoc iter suscipio) ut si nullius onerariæ hoc anno esset copia, & scapha quæ-

piam Malacam versùs hinc ſolveret, divinâ ope fretus illâ ipsâ traijcere non dubitarem: omnem utique ſpem in Deo fixam ac locatã habeo. Quare per eum ipſum vos rogo, Fratres chariſſimi, ut veſtris quotidianis ſacrificijs, aſſiduíſque precibus me hominem nequam Deo commendare ne deſinatis. Auguſto menſe exeunte, ut opinor, proficiſcar Malacam: naves enim eò profecturæ idoneã tempeſtatem expectant, quæ eo tempore exiſtere ſolet. Peto à Prætore per litteras diploma, ut Malacenſis Præfectus navigij ceterarúmque rerum ad iter Macazarienſe neceſſariarum mihi det facultatem. Mando vobis, ut pro veſtra in Deum charitate illud diploma conficiendum, atque ad me per hunc ipſum tabellarium perferendum curetis. Breviarium ſimul Romanum mittetis puſillum. Coſmo Anio, noſtri amiciſſimo, viróq; fideliſſimo, meis verbis ſalutem plurimam. Ei nihil ſeparatim ſcribo, quòd hanc veſtrûm trium communem eſſe epiſtolam velim.

Si qui è noſtra Societate peregrini, & Luſitanæ linguæ rudes venerint, eos noſtratem ſermonem addiſcere opus erit: alioquin hiſce in locis, qui intelligat quid dicant, nemo erit. Ego vos Malacâ de Chriſtianis jam factis, déque præparatione Ethnicorum faciam certiores, ut iſthinc idoneos homines ad no-

ſtra

ſtræ Fidei propagationem deſtinetis: nam domum iſtam, quæ Sanctæ Fidei appellatur, nomen ſuum factis tueri oportet. Chriſtus Dominus in ſua nos felicitate jungat; nam in hac vita an reviſuri nos ſimus ignoro. VIII. Idus Majas. Ex oppido S. Thomæ.

## Epistola XIII.

### Societati, in Luſitaniam.

Summarium. *Scribit Reges duos converſos: credi S. Thomam Apoſtolum in India ſepultum: Evangelicam paupertatem mercimoniis à mercatore prælatam. Addit aliqua de Macazarienſium ſacris. Socios expetit.*

*Gratia & Charitas D. N. &c.*

SCripſi ad vos, Fratres chariſſimi, ex India, iturum me ad Macazares, ubi nuper Chriſtianis ſacris initiati ſunt Reges duo. Ex itinere ad oppidum S. Thomæ (ubi omnes, tum Chriſtiani, tum barbari, ſanctiſſimi Apoſtoli Thomæ corpus eſſe confirmant) appuli eo conſilio, ut inde Malacam pergerem. Hîc igitur expectanti mihi navigationis opportunitatem, mercator quidam (Joanni Duro nomen eſt) divino inſtinctus afflatu ſe ſocium addidit. Is mecum unà dies aliquot verſatus, cùm de rebus cæleſtibus nonnulla cognoviſſet, ſentire cœpit alias quasdam mer-

ces reperiri, ſuis longè meliores; quas quidē ipſe numquam ad eam diem ne ſuſpicione quidem attigiſſet. Itaque omiſſis mercimonijs, nuntióque mercaturæ remiſſo, Evangelicam amplexus eſt paupertatem. Nuper Malacam (quæ urbs diſtat à Goa leucas ampliùs quingentas) ambo pervenimus. Ibi jam occaſionem captamus Macazaricæ tranſmiſſionis. Qui à Macazaribus huc veniunt, mirè illam gentem ad Chriſti cultum aptam atque idoneam eſſe nuntiant. Nulla inibi eſſe deorum fana; nullos qui populum impellant ad venerandos deos. Solem dumtaxat ab illis pro Deo coli: religionem prætereà apud eos nullam eſſe. Quare vos etiam atque etiam pro veſtra erga Chriſtum charitate oro, Fratres chariſſimi, ut multi quotannis è Societate huc demigretis: veſtri enim ſimilium ſumma eſt penuria. Sic autem habetote, ad aggregandos Chriſto hoſce Ethnicos, non magnâ eruditione opus eſſe; ſed magno virtutū uſu, magnáque vi divini Spiritûs: quem Deus pro ſua benignitate omnibus nobis impertiat. Amen. IV. Idus Novembris. M. D. XLV. Malacæ.

## Epistola XIV.

### Societati, in Luſitaniam.

Summarium. *Explicatiùs narrat, quæ priori*

*com-*

*complexus est; deinde quid agat Malacæ; quàm sese Sociorum litteris oblectet.*

*Gratia & Charitas D. N. &c.*

DE meis rebus ad vos pluribus verbis ex India, priùs quàm Macazariam versùs discederem, ubi Reges duos Christianos factos accepimus. Vnum jam dimidiatúmq; mensem Malacæ sedeo, idoneam tempestatem navigandi in Macazariam captans. Hinc post tantumdem temporis, Deo approbante, solvemus. Absunt Macazares ab urbe Goa leucas ampliùs M. Qui illinc venerunt, gentem perappositam esse narrant ad Evangeliũ; ut maximus illis locis Christianorum numerus fieri possit. Nulla apud eos deorum templa, nulli superstitionum antistites. Solem ipsum orientem colunt; præterea nihil. Verùm populi continenter inter se bellum gerunt. Ex quo Malacam attigi, (quæ urbs est maritima, mercatorum commercio celebris) piæ non desunt occupationes. Dominicis diebus ad populum verba facio: quamquam meæ conciones minùs mihi placent, quàm ijs, qui me audire non gravantur. Quotidie pueris per horam, eóque ampliùs solemnes precationes trado: diversor in Valetudinario; ægrorum audio confessiones, ijsdem facio rem Divinam, & Christi corpus imper-

 tio.

tio. Confiteri cupientium multitudine ſic obruor, ut omnibus ſatisfacere nullo modo queam. Plurimum temporis pono in Catechiſmo vertendo ex Latino in eam linguã, quam Macazares intelligant, ſanè laborioſum eſt, eorum, quibuſcum verſeris, funditus ignorare ſermonem. Diſcedens ex India, ad oppidum appuli, cui S. Thomæ nomen eſt, ubi indigenæ S. Thomæ Apoſtoli corpus aſſervari perhibent. In eo oppido familiæ ſunt Luſitanorum ampliùs centum; templúmque viſitur ſanè religioſum, ubi Apoſtoli corpus eſſe conſentiunt incolæ accolæque univerſi. Ibi Malacenſem navigationem expectans, in mercatorem incidi, qui navim eò applicuerat cum mercibus ſuis. Is divinarum rerum ſpecimen cùm cepiſſet, facilè ſenſit, alias quaſdam merces longè pretioſiores eſſe, quas ipſe numquam anteà vidiſſet. Itaque navigio ac mercibus relictis, mihi ſe ſocium, & Macazaricæ profectionis comitem adjunxit; Joanni Duro eſt nomen: certum jam fixúmque habet, in omni vita paupertatem colere, Chriſtóque Domino inſervire. Natus eſt annos quinque & triginta; perpetuus mundi miles ſe ad Chriſtum tranſtulit, ac valde expetit veſtrâ deprecatione commendari ſe Deo.

Malacæ multæ mihi litteræ, partim Ro-

manæ, partim Lusitanæ redditæ sunt; ex quibus incredibile est, quantum ceperim, quotidiéque capiam voluptatis. Quoties eas lego (lego autem sæpissimè) sic afficior, ut me isthic vobiscum, aut vos hîc mecum esse existimem; quod si corporibus non licet, certè animis licet. Patres, qui isthinc cum Joanne Castro venerunt, Goâ ad me Malacam scripserunt de adventu suo. His ego nunc rescribo, ut eorum duo in Comorinum Promontorium proficiscantur, opem laturi Francisco Mansillæ, quem ibi cum tribus Sacerdotibus indigenis Comorinenses Christianos instituentem reliqui. TertiumGoæ manere jubeo, & in Collegio S. Fidei alumnos litteris erudire. Quoniam navis maturat profectionem, nihil attingam eorum quæ scripsi ex India. Anno insequenti de Macazaribus (si Deo cordi erit) multa perscribam. Vnum vos oro, Fratres mihi charissimi, ut quotannis multi huc è Societate veniatis: hîc enim opus est multis. Nec verò ad Ethnicorum conversionem multa doctrinarum cognitio requiritur, sed multa exercitatio virtutum. Finem facio, Deum obsecrans, ut nobis & suam voluntatem indicet, & ejus exequendæ tribuat facultatem.

IV. Idus Novemb.
Malacâ.

# EPISTOLA XV.
## Societati, Goam.

Summarium. *Narrat de suis in Amboino laboribus. Mireris animi magnitudinem in subeundis periculis. Quàm pauci capiunt illud:* Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam, &c.

*Gratia & Charitas D. N. &c.*

AD IV. Idus Januar: anni M. D. XLVI. Malacâ solvimus Molucum versus. Ad Amboinum appulimus XVI. Kal: Febr: Hæc insula est in circuitu millia passuum fermè XC. incolis advenísque sanè frequens. In ea oppida pagíq; Christianorum sunt numero sex; quos, ut primùm veni, lustravi omnes ex ordine; infantes ac pueros baptizavi quamplurimos. Secundùm hæc Ferdinandi Sosæ classis ad Amboinum applicuit, quâ classe Hispani, ex nova Hispania in Molucum profecti, vehebantur. Ac pro multitudine navium tantus occupationum spiritualiũ quasi concursus fuit, cùm & confessiones audire, & habere conciones, & subvenire ægrotis & moribundis adesse oporteret, ut per tempus satisfacere omnibus neutiquam possem. Odoratus sum sensus ac voluntates incolarum: magnámque in spem venio, ut primùm insulæ Do-

læ Dominus (is eſt vir primarius Luſitanus, Chriſtianæ religionis ſtudioſiſſimus, qui nunc regij præſidij Dux eſt in Moluco) ſpero, inquam, ubi is reverterit, fore ut his locis colligamus animorum uberrimos fructus. Ora eſt ab Amboino millia paſſuum circiter cccc. quæ Mauri regio dicitur; ubi Chriſtiani permulti ſunt, Chriſtianæ diſciplinæ ac religionis prorſus ignari. Eò proficiſcor, ut tot animorum ſaluti conſulam: quippe cùm mihi ſic perſuaſerim, debere me, vel cum capitis mei diſcrimine, illorum animos ab interitu vindicare. Itaque vel perſpicua mortis pericula ſubire certum eſt; ſpem enim omnem in divina providentia ſitã habeo, & cupio obtemperare illi Evangelicæ voci: *Qui voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit propter me, inveniet eam.* Ac mihi credite, Fratres chariſſimi, etſi hujus ſententiæ verba generatim facilia ſint ad intelligendum: tamen ubi tempus incidit, cùm ſtatuere oportet, tibi pro Deo vitam amittendam eſſe, & mortis diſcrimen adeundum; uſque eò eadem ſententia, etſi clariſſima ſit, obſcura fieri ſolet, ut is modò eam intelligat, cui pro ſua benignitate declararit Deus. Enimverò iſtiusmodi temporibus apparet, quàm imbecilla infirmáque ſit humana natura. Dominus nos pro ſua immenſa miſeri-

cordia, talibus in rebus ac temporibus, ita ſuâ vi confirmet ac roboret, ut fortiter & ſubeamus omnia, & perferamus: idémque maneat nobiſcum ſemper. Amen. VI. Idus Majas, anni. M. D. XLVI. Ex Amboino.

FINIS LIBRI PRIMI.



# S. P. FRANCISCI XAVERII
## *EPISTOLARUM LIBER II.*
### EPISTOLA I.
### P. Paulo Camerti, Goani Collegij Rectori.

Summarium. *Hortatur ad obedientiæ ſtudiū. Monet, ut Socij, quos evocat, externos in partem laborum vocent. Auguſtinianos religioſos impensè commendat.*

*Gratia & charitas D. N. &c.*



Mi Paule, quod ego te & coram, & per litteras ſæpius oravi, idem nunc ſummoperè quæſo atque obſecro, ut omnibus in rebus iſtius Collegij Moderatoribus obtemperes ſedulò. Equidem ſi tuo eſſem loco, nihil antiquius haberem, quàm ut eis omnino morem gererem. Credas enim mihi, tibique perſuadeas velim, nihil eſſe tutius, atq; ab omni errore remotius, quàm ſemper optare ſibi ab alijs imperari, & imperantibus ex animo obtemperare. Contráque, lubricum ac periculoſum eſſe negotium, ad ſuum arbitrium vivere, omiſſo eorum, qui præſunt, imperio. Nam ut ab eo quod præſcribitur deflectens rectè aliquid faci-

facias, tamen ſic habeto, Frater chariſſime, in eo plus pravi eſſe, quàm recti. Proinde P. Jacobo Borbano, cujus voluntas cum divina voluntate congruit, omnibus in rebus accuratè parebis; omninóque in ejus eris poteſtate. Id ſi feceris, næ tu mihi non ſolùm, ſed Deo quoque rem gratam feceris.

Socios ad me mittas duos ex ijs, qui in Comorino Promontorio verſantur, nominatim verò Joannem Beiram. Horum in locum totidem ſubſtitues ex eorum numero, qui recentes ſunt è Luſitania. Obſecro autem eos, qui venturi ſunt, ut quoniam pro multitudine locorum, ac negotiorum magnitudine, tam pauci è Societate ſumus, alienos homines aliquot ſecum adducere conentur, qui ad harum Inſularum pagos Chriſtianis præceptis imbuendos uſui nobis ſint & ſubſidio. Si Sacerdotes non erunt, certè ſint ex ijs, qui à mundo, carne, diabolo injurioſè tractati, ſuas pariter & Dei injurias ulciſci in ſemetipſis expetunt. Inſtrumentum apparatúmque neceſſarium Sacrificij ſecum afferent. Sacros autem calices ſtanneos præſtat eſſe: ſunt enim argenteis tutiores *à gente non ſancta*; Ethnicos dico, inter quos verſamur aſſiduè.

Auguſtiniani Fratres quidam Hiſpani Goam hinc veniunt, ex quibus de meis rebus cognoſcere licebit, ſi quid voles. Hos ego tibi

ſic

ſic commendo, ut quibuſcumque rebus poteris, eos velim juves; idque ſummis vel benignitatis indicijs, vel benevolentiæ: viri quippe religioſi ſunt, planéque ſancti. Ego in Mauricam diſcedo. Deus tecum maneat, me comitetur, animóſque noſtros demum in ſuum regnum transferat, ubi profectò fruemur majore, quàm hîc & quiete & gaudio. VI. Idus Ma[illegible] D. XLVI. Ex Amboino.

Incluſam epiſtolam continuò ad Comorinenſes Socios perferendam curabis, ut Goam profecti, ineunte Aprili menſe anni inſequẽtis in Molucum ſolvant.

## EPISTOLA II.

### Socijs Comorinenſibus.

Summarium. *Recenſet aliàs à ſe ſcripta & geſta in inſula Amboino. Jubet binos ex Comorino Promontorio in Molucum venire; alios in Comorinum ſuccedere. De ſacra ſupellectile, & comitibus edocet.*

*Gratia & charitas D. N. &c.*

ANno ſuperiore ſcripſi ad vos Malacâ binas litteras, eodem exemplo, quibus vos, Franciſce Beira & Antoni Criminalis, per Deum orabam, ut confeſtim in Comorinum Promontorium contenderetis. Placuit enim vos illuc proficiſci, ad inſtituendos fovendóſque

que miseros illos Neophytos, unà cũ P. Francisco Mansilla, quem apud Christianos cum Francisco Lisiano, aliísque Sacerdotibus indigenis tribus reliqueram. Quod ut majore vestro merito fieret, vobis planè pro vestro obedientiæ studio imperabam. Non dubito, quin & redditæ litteræ sint, & eis obtemperatum. Ego Malacâ Kalend: Januarijs Molucum versus discessi. xvi. Ka[illegible] Martias appuli ad Amboinum insulam, ibique statim Christianorum vicos, qui in hisce insulis sunt, obiens, infantes Baptismo expiavi. Sub id tempus Ferdinandus Sosa cum Hispanorum classe, quæ ex nova Hispania Molucum petebat, ad Amboinum applicuit. Naves erant numero octo, quæ tantum mihi attulerunt negotij, quantum nullis verbis consequi possum. Perspexi intereà sensus indigenarum; speróque Deo bene juvante futurum, ut ubi Jordanes Freita Moluci Præfectus, vir religionis propagandæ cupidissimus, idémq; Amboini Dynasta, ibi sedem ac domicilium collocarit (quod proximo anno facturus dicitur) incolæ omnes Christi sequantur fidem. Insula in circuitu est millia passuum circiter nonaginta: frequentibus vicis habitatur, ex quibus septem sunt Christianorum. Ab Amboino millia passuum propè cccc. regio est in continenti, Maurica nomine, ubi Christianos pluri-

plurimos,eósque Christianæ disciplinæ planè rudes esse cognovi: itaq; eò traiiciam quamprimùm.

Hoc ideò vos scire volui, ut intelligeretis, quantoperè vestra opera desideretur in his locis. Et quamquam non sum nescius, vos isthic nequaquam esse otiosos; tamen quoniam hîc planè estis necessarij, per Christum vos oro, Francisce Mansilla & Francisce Beira, ut quamprimùm in hæc loca transmittatis: atque ut hoc iter major vobis sit obedientiæ ac meriti materia, idipsum planè impero. Quòd si fortè vestrûm aliquis excessit è vita, substituatur alius ad arbitrium P. Antonij Criminalis: sed ita, ut è tribus unus apud Comorinenses Christianos maneat cum indigenis Sacerdotibus. Si qui hoc anno è Societate supplementi causâ venerint è Lusitania, eos ego per Deum oro, ut in Comorinū Promontorium ad Christianos illos erudiendos proficiscantur. E Lusitania si quid erit novi, ad me perscribetis, Lusitanicásque litteras tradetis Patribus Molucum petituris. Vt autem socij recentes è Lusitaniâ plus obtemperando mereantur, eos in Comorinum Promontorium pro imperio ac potestate ire jubeo. Et quoniam video hasce vobis litteras vix intra Kal: Martias proximi anni reddi posse; Kalendis autem Maij regia navis è Goa

Goa Molucum versus soluturа est, eâ vos navi huc advehi volo. Quocircà hac epistolâ perlectâ, illicò è Comorino Promontorio remigrabitis Goam, & ad Molucensem profectionem, ut dixi, vos comparabitis. Eâdem navi Molucenses Regem suum, quem propediem exspectant, sperant esse venturum. Lusitani quoq; arbitrantur novum Moluci Præfectum, qui arcem obtineat, pariter vectum iri. Si Rex, quem dixi, Christiana Goæ sacra suscepit, magna me spes tenet, populariũ quamplurimos ad Christi Fidem accessuros. Verùm ut ille nolit esse Christianus, vos quidem certè egregiam hîc Christo operam estis navaturi. Singuli sacram Missæ supellectilem afferetis; calices autem stanneos, quò faciliùs *gentis non sanctæ*, apud quam versandum erit, avidas eludatis manus. Et quoniam vos, utpote homines è Societate JESV, quod ego vos per Christũ oravi, & pro vestro obediendi studio imperavi, facturos esse confido, nihil prætereà dicam, nisi ut huc properetis; vos enim vehementer exspecto. Nec dubito, quin vester adventus, Deo favente, & satis per se opportunus, & Christo gratus, & huic genti sit salutaris futurus. Vos rogo, Fratres mei, ut aliquot Goani Collegij alumnos Sacerdotes vobiscum deducatis, qui vos in tradenda hisce insulis doctrina Christiana

juva-

juvare queant. Certè uterque ſocios ſibi ſingulos aſciſcat, ſi non Sacerdotes, at clericos, mundo, dæmoni carníque infenſos, & acceptas ab his injurias ulciſci cupientes. Nos Deus vivos in ſuo obſequio, mortuos in ſuo regno pro ſua benignitate conjungat; ubi profectò longè major, quàm hìc eſt, quies ac lætitia nos manet. VI. Idus Majas. M.D.XLVI. Ex Amboino.

## EPISTOLA III.

### Societati Romam.

Summarium. *Significat cur Indiam reliquerit, & quâ viâ in Macazariam penetrare conatus ſit. Inter alia quæ refert, ſingulare eſt charitatis ſtudium in ſolatium animarum Purgatorij Malacæ præſtitum. Decreta in Mauricam expeditio. Humani præſidij contemptus, ne de cæleſti diminutio fiat. Dei cauſâ mori, facilè putant mortis pericula non experti. In pericula fidendum Deo. Religionis ſacræ apud Sinas indicia. Acerbum Molucenſium in Mahometis cultores odium. Moluci aliarúmque inſularum deſcriptio. Preces enixè flagitat Xaverius.*

*Gratia & charitas D. N. &c.*

SCripſi ad vos anno ſuperiore, Reges duos in inſula, quam Macazariam appellãt, cum magno populariũm ſuorum numero ad Chri

Christi religionem esse traductos. Ego igitur occasione rei bene gerendæ invitatus ( apertum enim mihi aditum videbam ad Evangelium longè ac latè propagandum ) confestim ex Comorino Promontorio solui, ut eò quāprimùm appellerem. Abest Macazaria à Promontorio ampliùs vicies centena & septingenta millia passuum. Priùs quàm navim conscenderem, curavi sedulò, ne quid Comorinensibus Christianis deesset eorum, quæ ad sacrorum religionem studiúmq; pietatis pertinerent. Quinque igitur eis præposui Sacerdotes Franciscum Mansillam è Societate, indigenas tres, & Franciscum Lisianum oriundum ex Hispania. Nam Christianos incolas Ceilani insulæ, quæ non longè abest à Comorino Promontorio, egregiè instituunt Franciscani duo, cum totidem Sacerdotibus. Ita factum est, ut neutri Ecclesiæ meâ operâ esset opus: ceteri enim Christiani, qui sunt in oppidis Lusitanorum, à singulis Episcopi Vicarijs erudiuntur. Cùm meam igitur operam Indiæ minimè necessariam esse intelligerem, Meliaporam ( quod oppidum hodie S. Thomæ nomine appellatur) petij, ut illinc in Macazariam pergerem. Ibi mercator me convenit, obsecrans ut confitenti operam sibi darem. Is confesśione ritè peractâ, divinitus commotus est adeò, ut postridie pecu-
niam

niam ex mercibus ac navigio redactã disper-
tiret pauperibus: nudúsq; nudum Christum
sequens, mihi se socium adjungeret. Inde
cùm solvissemus, Malacam applicuimus; ur-
bem sanè celebrem Regis Lusitani. Hîc nar-
ravit mihi Præfectus urbis, missum ab se nu-
per in Macazariam Sacerdotem, egregiâ re-
ligione prȩditum, cum non contemnendâ Lu-
sitanorum manu; ut si quis motus exorire-
tur, præsidio essent novis Christianis. Itaq;
monuit, ut Malacæ tantisper subsisterem, dũ
navis, quâ illi vecti erant, rediret, & quo in
statu res esset, renunciaret. Ergo Præfecti
consilium secutus, tres menses eóq; ampliùs
Malacæ sum commoratus. Neque defuit
interim materia bene merendi. Festis ac Do-
minicis diebus in Æde sacra conciones habe-
bam ad populum; reliquum tempus ferme
consumebam in ægrorum, apud quos in Va-
letudinario diversabar, confessionibus audi-
endis, eorúmque miserijs sublevandis. Neo-
phytos quoque ac præcipuè pueros Christia-
næ doctrinæ elementis imbuebam: milites
ac cives, odio inter se dissidentes, ad pacem
concordiámque revocabam. Quotidie post
occasum Solis cum tintinnabulo urbem obi-
ens, cives sonitu excitatos admonebam, ut
pro animis, quæ Purgatorio igne cruciaren-
tur, divinam implorarent clementiam. Has
subin-

ſubinde voces iterantem, puerorum grex è Catechiſmi ſchola proſequebatur, non ſine magno civium motu.

Poſtea verò quàm ventos è Macazaria revertentibus opportunos reſediſſe vidi, nullúmque de Sacerdote ac militibus eò miſsis nuntium afferri; non diutiùs mihi cunctandum putavi. Itaque Malacâ ſolvens, in Molucum, vela feci. Arx eſt in Moluco Regis Luſitani, Ternate nomine, ab India remotiſſima. Ab hac arce millia paſſuum propè ducenta inſula eſt Amboinus, Indiæ propior, quæ circuitu quatuor & nonaginta paſſuum millia amplectitur, ſatis frequens non indigenis modò, ſed etiam advenis. Hanc inſulam Rex Luſitaniæ Luſitano Duci, virtute ac pietate clariſsimo, dono dedit, quem intra biennium eò cum conjuge, liberis, univerſaque familia commigraturum ferunt. Hîc oppida ſunt Chriſtianorum omnino ſeptem; quæ ego circumiens, infantes omnes ac pueros nondum baptizatos ritè luſtravi. Ex quorum numero complures ſub Baptiſmum exceſſerunt è vita; ut ſatis appareret, vitam illis ſuppeditatam divinitus, uſque eò dum ad æternam vitam patefactus aditus eſſet. Sub id tempus octo Hiſpanorum naves eò delatæ, tres ibidem ſubſtitêre menſes: quo toto tempore dici vix poteſt, quot quantíſque occupationi-

tionibus diſtinerer. Nam & concionibus omnes excitabam ad rectam honeſtámque vitam, & peccata confitentes audiebam, & viſitabam ægrotos, & morientes confirmabam, ut æquo fidentíque animo è vita diſcederent: quod quidem longè difficillimum eſt ijs, qui divinis Legibus minimè paruerunt. Quippe hoc minore divinæ clementiæ ſpe fiduciáque moriuntur, quò majore antè audaciâ in ſceleribus ac flagitijs volutabantur. Multi prætereà, qui graves inter ſe inimicitias exercebant (quod vitium inter milites latiſsimè patet) in gratiam, juvante Deo, reducti. Inde illi Indiam, ego cum Joanne Duro (de quo ſuprà dixi) contrario curſu Molucum petijmus.

Vltra Molucum millia paſſuum propè ducenta regio eſt, quæ Maurica dicitur. In ea multis ab hinc annis ingens hominum multitudo Chriſtianis ſacris initiata eſt, ſed morte Sacerdotum, à quibus inſtituebantur, deſerti atque orbati, ad priſtinam barbariem feritatémque redierunt. Omnino terra periculorum pleniſsima eſt, & advenis maximè infeſta, propter gentis immanitatem inſignem, & varia veneni genera, quæ in cibo ac potione dari vulgò ſolent; quæ res Sacerdotes peregrinos deterruit, quò minùs illuc accederent ad incolas juvandos. Ego igitur animad-

animadvertens, quantâ necessitate urgeantur quos nemo doceat, nemo expiet Sacramentis; in animum induxi meum, debere me vel cum capitis periculo consulere illorũ saluti. Quocircà quamprimùm eò me conferre statui, & caput meum in discrimen offerre. Equidem omnem in Deo spem locatam habeo, cupióque quantum in me erit, Christo Domino obtemperare admonenti. *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Quæ quidem sententia cogitanti facilis est, experienti non item. Vbi enim tempus incidit, cùm vita amittenda est, ut eam in Deo invenias, cùm mortis periculum intẽditur, sic ut facilè prospicias, si Deo pareas, vitam esse dimittendã; tum verò nescio quo modo fit, ut quod ante præceptum dilucidum videbatur, incredibili involvatur obscuritate. Nam ne doctissimi quidem viri tam præclaræ sententiæ vim consequuntur; sed ij dumtaxat, quos singulari beneficio Deus ipse interior magister instituit. Atque in ejusmodi rebus facilè apparet, quanta tandem nostra sit imbecillitas, quàm fragilis & infirma humanæ naturæ cõditio. Complures mei me amici vehementer orabant, ne tantæ feritatis gentem adirem: posteà verò, quàm nec precibus nec la-
cry-

crymis quicquam se proficere senserunt, præsentissima remedia contra omnia venena pro se quisque afferebant; quæ ego constanter remisi omnia; ne videlicet medicamentis onustus, onerarer etiam solicitudine, quâ carebã. Cùm enim omnem spem meam collocassem in divinæ providentiæ præsidio, cavendum mihi existimabam, ne humanis præsidijs fretus, deperderem aliquid de fiduciâ Dei. Itaque eis gratias egi, & simul omnes obsecravi, ut pro me Deum deprecarentur: hoc remedio nullum præsentius posse reperiri.

Sed ut ad Molucense iter revertamur; navigatione usi sumus minimè secundâ: multa tum piratarum tum tempestatum pericula adivimus. Illud maximum; ingenti navi vehebamur, quæ tempestatis impetu in syrtes abrepta, tria millia passuum ita confecit, ut imum gubernaculum perpetuò arenam perstringeret. Quod si vel in latentes scopulos, vel in vada inæqualia incurrisset (quod omnes ne accideret subinde extimescebamus) certè facto naufragio interîssemus universi. Multum ibi lacrymarum vidi, multum solicitudinis & angoris, cùm omnes in singula momẽtà mortem expectarent. Verùm noluit DEVS nos perdere, sed periculis erudire; ut usu docti intelligeremus, quàm infirmæ sint opes nostræ, quoties aut nostris viribus, aut præsi-

dijs nitimur humanis. Nam ubi ſenſeris, quàm fallaces ſint ſpes tuæ, & humanis opibus omnino diffiſus in illo rerum omnium Moderatore, qui unus pericula ipſius causâ ſuſcepta facilè propulſare poteſt, ſpem omnẽ poſueris; tum verò planè experiaris, Dei imperio ac nutu omnia gubernari, & quantumvis vitæ diſcrimen præ cæleſtibus gaudijs, quæ in tali re ac tempore divinitus impertiri ſolent, eſſe contemnendum. Quamquam ne mors quidẽ ipſa pertimeſcenda eſt ijs, qui divinâ illâ voluptate perfruuntur. Etſi autem fit, neſcio quomodo, ut periculis perfuncti eorum magnitudinem nullis verbis conſequi poſſimus; manet tamen jucundiſſima beneficij divini memoria, quæ nos dies noctéſque ſtimulat ad labores pro optimo Domino vel ſuſcipiendos libenter, vel fortiter perferendos: & ſimul efficit, ut eum in omni vita veneremur; ſperantes fore, ut idem pro ſua infinita benignitate vires nobis & animos addat, quò tam benigno Domino operam ſedulò conſtantérque navemus.

Cùm eſſem Malacæ, incidi in mercatorem Luſitanum, recentem ex opulentiſſimo Regno Sinarum. Is mihi narravit, ſe ab homine Sina, honeſto ſanè & gravi, atque in urbe regia ſatis verſato interrogatum. Num Chriſtiani ſuillâ carne veſcantur; reſpondiſſe,

Christianos quidem suillam non aspernari; se tamen libenter auditurum, cur tandem id sciscitaretur. Tum Sinam dixisse, nationem esse quamdam in medio Sinarum Regno montibus inclusam, moribus institutísque longè abhorrentem ab Sinis, quæ ab suilla penitus abstineret, & multos dies festos solemni ritu celebraret. Hæc mihi mercator cùm exposuisset, non satis coniicere potui, utrùm hi, quos Sina describebat, Christiani essent ex eo numero, qui ritus Hebrææ legis cum Christi religione conjungunt, quales Æthiopes Maris rubri accolas scimus esse; an Judæi qui sunt toto terrarum orbe dispersi. Nam Saracenos non esse, audio constare inter omnes. Complures mercatores è Malaca in Sinas commeant quotannis; horũ multis ego mandavi, ut diligenter cognoscant, qui tandem sint illius gentis mores, qui ritus, quæ leges & instituta, ut his tandem vestigijs ejus conditionem investigem, exploratúmque habeam, Judæíne sint an Christiani. Neque enim desunt, qui S. Thomam Apostolum in Sinas penetrasse confirment, magnúmque eorum numerum ad Christi Fidem adduxisse. Nam priùs quàm Indiam Lusitani in suam redegissent ditionem, Græca Ecclesia eò mittebat Episcopos, qui Christianos S. Thomæ, ejúsque discipulorum operâ propagatos tuerentur.

Cùm primùm igitur Lusitani Indiâ potiri cœperunt, unus ex Græcis Episcopis, quos dixi, affirmasse fertur, sese cognovisse de alijs Episcopis, quos in India invenerit, S. Thomam Sinarum fines ingressum eorum oppida peragrasse, Evangelióq; divulgato, indigenas plurimos Christo peperisse. Cùm primùm aliquid certi habuero, aut ab alijs compertum, aut meâ operâ exploratum, vos faciam certiores.

Antequam Malacâ discederem, cognovi Goam appulisse tres è Societate, qui cum suis litteras quoque Romanas ad me perferendas curârunt. His ego perlectis, enimverò triumphavi gaudio, quòd ea, quæ maximè vellem, de Societatis rebus acceperam. Et quoniam ex tribus illis unus venerat, ut in Collegio S. Fidei alumnos litteras doceret, reliqui duo, ut ibi potissimùm versarentur, ubi maximo rei Christianæ emolumento mihi viderentur futuri; confestim ad eos scripsi, ut relicto Goæ alumnorum magistro, ceteri pergerent in Promontorium Comorinum, ibíque cū Francisco Mansilla Neophytos erudirent. Nunc verò mutatâ sententiâ, eos in Molucas insulas anno proximo venire jubeo: quòd videā his locis Christianæ religionis propagandæ opportunitatem longè majorem.

Molucus regio est modicis ac propè innu-

mera-

merabilibus discreta insulis: nec satis adhuc exploratum est, an pars ejus aliqua sit in continenti. Omnes fermè insulæ vicis frequentibus habitantur. Incolæ porrò ipsi facilè se adjungerent Christo, nisi hortatores deessent. Nimirum si aliquod in his locis esset Societatis domicilium, pleriq; Christiana sacra susciperent. Itaque omnino decrevi efficere, ut in hisce ultimis terris aliquâ tandem ratione sedes collocetur nostris hominibus: jam nunc enim prospicio, quot populos ea res Christo sit aggregatura.

In hac Insula Amboino Ethnici longè plures sunt Saracenis, atque ab eis acerbo diffident odio. Quippe illos Saraceni aut Mahometis ritus suscipere, aut sibi servire cogunt: Ethnici autem plerique, utpote qui magis etiã Mahometis nomen oderint quàm jugum servitutis, illorum superstitionem repudiant funditus. Si essent, qui eos instituerent ad veram religionem, haud magno negotio ad Christi ovile aggregarentur; longè enim minùs à Christi, quàm à Mahometis nomine abhorrent. Septuagesimo ab hinc anno Mahometica pestis invasit hanc insulam, cùm ante id tempus incolæ omnes essent Ethnici. Id malum nonnulli Mahometis antistites (Cacizes vocant) invexerunt, qui è Meca Arabiæ urbe (ubi execrandum Mahometis corpus summâ superstitione

colitur) profecti, cùm in hæc loca ſeſe inſinuaſſent, magnam hominum multitudinem ad ſuam pertraxêre ſectam. Saraceni indigenæ penitus rudes, & ignari ſunt peſtilentis illius diſciplinæ, quam ſequuntur. Itaque in ſpem venio fore, ut facilè abducantur à Mahometicis ritibus. Hæc omnia eò fuſiùs ad vos ſcribo, ut hujuſce meæ ſolicitudinis participes, magnum, ut par eſt, capiatis dolorem ex tam miſerabili tot animorum interitu, qui omni ope deſtituti quotidie pereunt. His opitulari qui cupiunt, ne cunctentur. Nam ut litteris ceteríſque facultatibus non ſint ſatis inſtructi; ſatis tamen erunt ad hoc munus parati, ſi in animum induxerint ſuum, huc Chriſti unius causâ venire, cum hiſce hominibus verſari, atque in hujus tam præclari ſtudij contentione extremum ſpiritum edere. Hoc animo ſi duodeni tantùm quotannis venirēt, næ iſta Mahometis ſecta funditus deleretur, ac brevî ad Chriſti Fidem ſe adjungerent omnes. Ita demum fieret, ut haudquaquā tam nefarijs impiiſque ſceleribus Dei numen ab hac gente violaretur propter veræ religionis inſcitiam. Etenim qui hanc inſulam colunt, ferè ſunt homines immanes ac barbari, perfidiâ inſignes, & mirandum in modum ingrati. Sunt etiam inſulæ nonnullæ in hoc maris tractu, quarum incolæ humanâ carne veſcuntur,

tur, præſertim hoſtium, qui in pugna ceciderint. Quòd ſi quis domeſticorum morbo intereat, à cetero quidem abſtinent corpore, ſed manus ac pedes præciſos in delicijs habent. Atque etiam (ſi famæ libet credere) eò immanitatis progrediuntur, ut ſi cui lautius cōvivium ſit apparandum, poſtulet à vicino patrem natu grandem, quem jugulatum vicinis ad epulandum apponat: poſtulet autem eâ conditione, ut ipſe viciſſim parem gratiam repromittat ei, à quo hoc beneficij perit, ſi quando is voluerit conſimile inſtruere convivium. Tantâ porrò ſunt, támque immani libidine, ut omnes ſuſcipiant impuritates. Intra menſem proficiſci in inſulam cogito, ubi præter inaudita flagitia, facinus utrumque committi vulgò ſolet, ut & cæſos in prælio comedant, & parentes affectâ ætate vicinis mutuos dent ad epulas. Cauſa proficiſcendi eſt, quòd eos à tam nefarijs ſceleribus ac flagitijs ad Chriſtianam pietatem converti velle cognovi.

Inſulæ ſunt mirâ cæli temperie, proceris dēſiſque arboribus frequentes, crebris imbribꝰ irrigatæ, præruptis undique munitæ rupibus, arduæque & excelſæ adeò, ut incolis haudquaquam opus ſit mœnibus ad hoſtium impetum propulſandum. Cùm enim bellum ingruit, ſatis tutos ſe fore confidunt, ſi ſe ad

rupes recipiant suas: quarum calles usque eò ardui sunt & saxis impediti, ut nullus apud eos equorum usus nec sit, nec esse possit. Ceterùm crebri ibidem terrę motus existunt, adeò ingentes, ut qui fortè prætervehuntur, naves suas objectis cautibus occursare credant. Accedit terræ fremitus tantus, ut incredibilem omnibus terrorem incutiat. Multæ ex his insulæ procul emittunt ignem: flammas autem evomunt tanto fragore, quantum nulla tormenta ænea, quamvis magna, edere solent, cùm summâ vi jaculantur globos: hujus quippe ignis vi atque impetu ingentia sæpè saxa jactantur. Voluit Deus videlicet ijs, quos nemo de pœnis impiorum admonebat, quasi Inferorum sedem aperire, speciémque præbere quamdam illius incendij, quo sunt scelesti homines perpetuò cruciandi: ut horrendo illo spectaculo admoniti tandem intelligerent, quæ illos manerent supplicia, nisi ex nefarijs sceleribus ac flagitijs emergerent. Hæ insulæ omnes inter se differunt linguâ, atque etiam nonnullarum incolæ non eodem omnes, sed pagi alij alio sermone utuntur. Verumtamen Malacensem linguam propter commercium intelligunt omnes. Quocircà cùm adhuc essem Malacæ, Symbolum Apostolorum cum appositâ explicatione, communis Confessionis formulam, Orationem Domini-

minicam, Salutationem Angelicam, & decem Legis Præcepta in Malacenſem ſermonem vertenda curavi; ut me de rebus divinis verba faciente apud eos, planiùs intelligerent, quæ dicerentur. Nulla ferme habent monumenta litterarũ: nec ſcribere vulgò norunt, nec legere: pauci in ſcribendo Arabicis notis utuntur, verbis Malacenſibus. Arabes quippe Mahometicæ ſuperſtitionis Antiſtites, quos Cacizes ſeu Alfaques appellant, nonnullos indigenas ſcribendi rationem nuper docuerunt, ut hodie docent. Nam ante Mahometis ritus invectos, nullus omnino apud incolas uſus erat litterarum.

In hac inſula Amboino rem vidi incredibilem, & ante hoc tempus inauditam, quam fortaſſis operæ pretium erit cognoſcere. Caprum, inquam, vidi lacte ſuo parvos alentem hœdos: ubere enim, quod prope genitalia unicum habet, tantum lactis reddebat quotidie, quantum ſcutella capere poteſt. Ego ipſe rem perſpexi his oculis; neque enim aliter, ut crederem, adduci potuiſſem. Hunc caprum Luſitanus quidam vir honeſtus ſecum aſportat eo conſilio, ut in Luſitaniam mittat.

Sed ut ad iter meum revertar, vos ego Patres Fratréſque chariſſimi per Chriſtum JESUM, rerum omnium Dominum, per ſanctiſſimam ejus Parentem, per cæleſtes cives, qui

æternâ gloriâ fruuntur, oro quæsóque, ut mei memores, assiduè pro me summo studio deprecemini Deum. Videtis enim profectò quãto mihi præsidio opus sit. Ac sæpenumerò sensi, in multis corporis animíque periculis vestras mihi preces saluti fuisse. Equidem, ne mihi ex animo excideretis, vestrûm omnium nomina, vestro chirographo in epistolis ad me missis subscripta, simul cum solemni meæ professionis formula circumgesto: & pro singulari voluptate, quam percipio ex tã jucunda recordatione, primùm Deo, ut par est, gratias ago, deinde vobis Patres Fratrésq; suavissimi, quos Deus tot ac tantis virtutibus ornavit. Et quoniam confido fore, ut vobis haud paulò jucundiùs fruar in æterna vita, pluribus in præsentia vobíscum agere supersedeo. VI. Idus Majas. M. D. XLVI. Ex Amboino.

## Epistola IV.

### R. P. Ignatio Lojolæ Præposito Gener. Societatis JESU, Romam.

Summarium. *Petit virum à quo excitetur, idoneos operarios, & jam pridem postulata. Cõsilium suum Japoniam tentandi, Superiores in Missionibus renuntiandi, Ignatio plurimùm tribuens, exponit.*

*Gratia & Charitas D. N. &c.*

Deus

DEvs mihi conſcius eſt, quantoperè in hac quoque vita te videre expetam, Pater chariſsime, ut tecum multis de rebus communicem, quæ tuam opem ac remedium deſiderant: nulla enim locorum ſpatia obſtant obedientiæ. Video in his locis è Societate eſſe permultos: rurſúſque nos animorum noſtrorum Medico multùm egere video. Per ego te Jeſum Dominum oro & obteſtor, Pater optime, ut his quoque filiis tuis, qui in India verſamur, proſpicias; virúmque mittas aliquem virtute ac ſanctitate præſtantem, cujus vigor & alacritas torporem excitet meũ. Magna me ſpes tenet, quoniam divinitus animorum noſtrorum affectiones túte perſpicis, abs te operam datum iri diligenter, ut omnium noſtrûm jam langueſcens virtus ad perfectionis ſtudium vehementiùs incitetur.

Nihil magis hæc terra ab Societate noſtra, quàm Concionatores deſiderat. In his, quos huc magiſter Simon ſubmiſit, nemo eſt (quod ſciam) Concionator. Luſitani autem Indiam incolentes, pro ſuo egregio erga nos ſtudio ac benevolentia, idoneos noſtræ Societatis Concionatores exoptant mirum in modum. Proinde te per Deum ejúſque cultum obteſtor, ut tam pij juſtíque illorum poſtulati memor, aliquot huc mittas Patres ad id munus appoſitos, qui rectum errantibus ſalutis iter

 oſten-

ostendant. Quos prætereà è Societate missurus es, ut Evangelij causâ Ethnicorum vicos peragrent, hos tam spectatâ probitate oportet esse, ut tutò & comitati ire posſint & soli, quocumque eos Christiana res vocet, velut in Molucum, in Sinas, in Japoniam. Vel ex Sinarum & Japoniæ, earúmque gentium descriptione, quam his inclusam litteris ad te mitto, facilè intelliges, cujusmodi tandem ipsa res expectat viros.

Pontificias Indulgentias, privilegiúmque Aræ maximæ nostri Collegij, item potestatem sacerdotibus, ut remotos populos Chrismate inungant pro Episcopo, de quibus ad te superioribus annis scripsi, incredibiliter expectamus. De Quadragesima usus me docuit, nihil admodum necesse esse quicquam immutari. Nam Lusitani adeò locis disjuncti sunt in India, ut si commodum spectes publicum, nullâ immutatione opus sit. Neque enim hiems eodem tempore per omnes Lusitanorũ civitates atque oppida vagatur. Quare habitâ communis boni ratione, satius duco, nihil decerni super ea re novi, etsi video non deesse qui contrà sentiant.

Nondum planè constitui, utrùm ego ipse cum uno aut altero è Societate Japoniã post sesquiannum petam, an eò duos è Societate præmittam. Nam certum est mihi aut ire, aut

aut alios mittere :atque ut nunc est, inclinat animus in consilium eundi. Deum oro, ut quod magis ei cordi est, id liquidò præscribat mihi. E tribus Socijs, qui Molucũ petierunt, visum est unum eligere, qui præesset ceteris. Itaque Joannem Beirã delegi, cui reliqui obtemperarent non secùs ac tibi. id illis pergratum accidit. Idem in Promontorio Comorino, ceterísque locis, ubi plures è Societate versantur, instituere cogito. Tu velim tuâ tuíque studiosorum deprecatione nobis in hac barbarie versantibus cælestem implores opem. Quod ut facias impensiùs, Deum immortalem oro, tibi ut ostendat divinitus, quantum ego tuæ vel opis, vel operæ indigeã. XIII. Kalendas Februar: Anni à Christo nato. M. D. XLVIII. Cocini.

## EPISTOLA V.

### M. Simoni Roderico, in Lusitaniam.

Summarium. *Docet quales esse oporteat, qui Indiam petunt. Saluberrimam Regi proponit meditandi materiam. Denuntiat ipsi instare mortem (paulò pòst obijt Rex) rogatum eumdẽ cupit, ut suis per Indiam ministris, ante alia omnia, Christianæ Religionis imponat curam.*

*Gratia & Charitas D. N. &c.*

MAndo tibi, Frater charissime, ut pro tua ergo

erga JESVM amore mittas huc aliquot è nostra Societate Concionatores. Hujuſcemodi enim hominib9 maximè opus eſt in India. Ex omnibus, quos miſiſti nuper, neminem adhuc vidi, præter Joannem Beiram, P. Riberum, Nicolaúmque Laicum, qui ſunt in Moluco, & Adamum Franciſcum, qui eſt Cocini. Percontanti mihi de ceteris, reſponſum eſt, inter eos idoneum concionibus habendis eſſe neminem. Illud quoque te per Deum obteſtor, ut delectum habeas eorum, quos huc ſubmittendos pures ad converſionē Ethnicorum. Probatæ probitatis ac ſpectatæ virtutis viros deligas neceſſe eſt, qui ſcilicet aliquot annorum ſpatio retulerint multas egregiáſque de ſeipſis victorias. Eoſdem autem non infirmos, ſed validos eſſe oportebit: Indici enim labores non animi ſolùm virtutem, ſed corporis etiam vires deſiderant. Nimirum magnam Rex à Deo iniret gratiam, ſi in Indiam mitteret Concionatores è noſtra Societate quamplurimos; adeò Indorum gens univerſa rudis eſt & imperita. Hæc ad te ſcribo pro uſu, quem horum locorum jam habeo. Quòd ſi fortè Chriſtianæ religionis propagatio in Ethnicorum regnis magnas habere videtur difficultates, cave propterea ab incepto deterrearis; prima quippe ac potiſſima difficultas in nobis eſt. Itaque noſtros homi-

homines primùm, deinde Ethnicos curandos censeo. Quæso te, in annum proximum elabora quantum potes, per Deum, ut Concionatores habeamus idoneos. De rebus Indicis nihil ad te scribo, quòd Malaca in Indiam redij octo ab hinc diebus; neque dum quicquam ferè de ijs cognovi: quæ autem cognovi, ejusmodi sunt ut cognosse pœniteat. Comites mei, ut opinor, de hisce rebus omnibus ad te perscribunt. Quos è Societate ad Ethnicorum conversionem destinabis, tales esse debebunt, ut tutò vel comitati vel soli mittãtur quocumque opus sit, sive in Molucum, sive in Sinas, sive in Japoniam, sive in Regnum Peguanum, sive aliò. Apud quamvis harum gentium homines etiam non litteratissimi, modò egregiâ virtute præditi, egregiam Deo navare operam possunt.

Vnum est, de quo pro suis plurimis ac maximis erga Societatem nostram promeritis Regem Lusitaniæ admonitum velim; cujus præcipuè interest, suorum primùm, deinde Ethnicorum, qui in ejus ditione sunt, saluti consulere. Exopto inquam, ut Rex tum divini cultûs gratiâ, tum verò ad animum suum religione exolvendum, omnibus Indiæ oppidis, quæ Lusitanis tenentur præsidijs, Concionatores, sive ex nostris hominibus, sive ex Franciscanis, sive ex Dominicanis idoneos cogat,

gat, qui ceteris expediti curis, ac soluti, Dominicis ac festis diebus antemeridiano tempore de Evangelio verba faciant ad Lusitanos; pomeridiano verò eorum servis & ancillis, indigenísque Neophytis capita explanent Fidei: semel etiam in hebdomada apud Lusitanorum uxores ac liberos de Symboli articulis, de Sacramentis confessionis & Communionis sermonem habeant: usu enim didici quantoperè ea institutio sit his locis necessaria.

Si Regem à meis fidelissimis atq; amantissimis consilijs non abhorrere arbitrarer, saluberrimum ei darem consilium, ut quotidie per quadrantem horæ divinam illam sententiam meditando: *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur,* germanam ejus intelligentiam à Deo peteret, cum sensu animi interiore conjunctam, & simul suarum precationum omnium illam vellet esse clausulam: *Quid prodest homini si universum mundum lucretur,* & quæ sequuntur. Tempus jam est hunc Regi errorem eripiendi, quoniam propiùs quàm ipse existimat, abest hora, quâ illum Rex regum, & Dominus dominantium ad rationem reddendam evocaturus est, illud intonans: *Redde rationem villicationis tuæ.* Quare effice, ut mittat necessaria ad Fidei propagationem auxilia in Indiam.

Vna

Vna mihi omnino via ac ratio, pro ufu quē habeo, videtur effe religionis in India propagandæ, ut Rex omnibus Indiæ Prætoribus edicto denuntiet, fe nulli tam confidere in India, quàm ijs qui Chriftianæ religionis fines omni ope proferre nituntur. Quocircà mandare fe atque imperare, ut Ceilanum Infulam ad Chrifti Fidem adducendam, Neophytorum numerum in Comorino Promontorio augendum, curent fedulò. Proinde viros religiofos conquirant undique, & noftræ Societatis hominibus, itémque ceteris, quibus vifum erit, ad divini cultûs amplificationem utantur. Quòd fi fortè in hoc genere Prætores negligentes fe præbuerint ac focordes; terrorem eis incutiat, ac jurejurando confirmet (magnam enim inibit à Deo gratiam jurando; majorem etiam eo quòd jurarit, exequendo) nifi animum ipfius religione exoluerint, re Chriftianâ in India quàm maximè propagatâ, fimul atque Olyffiponem reverterint, eorum focordiam publicatione bonorum, & diuturno carcere multaturum. Id fi Rex edicet Prætoribus, & fimul edicti contemptores feverè accipiet, certè plerique, Deo juuante, conferent fe ad Chrifti Fidem: fin minùs, nihil admodum proficietur. Habes fuper hac re quid fentiam; cetera taceo: hoc unum dico, fi fiet quod fieri expeto; ab injuriis ac di-

reptio-

reptionibus vindicabuntur miſeri Neophyti; ceteri haud ægrè ad Chriſti Domini ovile compellentur. Nam in Chriſtiana Fide propaganda, ſi Regis aut Prætoris deſit auctoritas, profectò opera luditur. Crede mihi affirmanti, & pluſquam ſatis erat, experto. Cur ita accidat, ſcio: ſed dicere non eſt neceſſe. Duo cupio videre in India, primùm Prætores eâ quam dixi lege devinctos; deinde in omnibus Luſitanorum præſidijs probos Concionatores. Vtraque res ſcilicet tum Goæ, tum in reliqua India rem Chriſtianam mirificè adjuvaret. JESVS Dominus noſter nos perpetuò tueatur. Amen. XIII. Kal: Febr: Cocini.

## EPISTOLA VI.

### Societati Romam.

Summarium. *Varia deſcribuntur: Fidei rudimenta paſſim à Neophytis decantata: magnæ in Mauricis inſulis ærumnæ, & affluentia gaudiorum: immanitas Javarorum: terribilis regio: Molucenſium in Xaverium amor: commiſerationis in purgantes animas excitandæ ritus: Regis Moluci in Chriſtianos animus: ratio inſtituendi Molucenſes: res apud Malacenſes geſtæ: Occaſio Fidem in Japoniam inferendi: Xaverÿ tranquillitas in atroci tempeſtate: deprecatores apud Deum: æſtimatio vocationis in Societatem JESU.*

*Gra-*

*Gratia & charitas D. N. &c.*

ANno post Christum natum M. D. XLVIII. scripsi ad vos pluribus verbis de insulis Molucis, quæ absunt à Malaca leucas LX. In insula Amboino, ubi Rex Lusitaniæ præsidiū habet, frequentes habitant Lusitani, qui Molucas insulas obtinent omnium aromatum feracissimas. Quippe clavus, quem cariophyllum vulgò appellamus, nusquam alibi gignitur. In Amboino, ubi sunt septem Christianorum pagi, tres menses sum moratus; quo tempore complures baptizavi pueros, quorū salus magno in periculo versabatur, quia nulla esset sacerdotis copia: nam sacerdos, cujus Fidei commissi erant, multò antè è vita discesserat. Commodùm pagos omnes obieram, & infantes baptismo lustraveram, cùm septē naves huc appulêre, quarum aliquot erant Hispanorum. Hæ profectæ ex nova Hispania, quæ Occidentalis India vulgò dicitur, Caroli Cæsaris missu quærebant novas terrarum oras. Hæserunt Amboini menses circiter tres, mihíque attulerunt occupationum satis. Nā Dominicis ac festis diebus conciones habendæ erant; Confessiones plurimæ audiendæ quotidie, discordiæ sedandæ, ægri visitandi: omnino erant occupationes ejusmodi, ut cùm in gente non sancta versarer, & bellicosa, tantos pacis fructus ex ea percipere me posse, diffi-

differem. Immortales Deo gratias ago, qui tam benignè pacem impertit hominibus, pænè dicam profitentibus nullam se cum DEO aut hominibus habere pacem. Trimestri spatio exacto, illi Indiam Lusitanorum petiverunt; ego continuò trajeci Molucum, ubi totidem menses consumpsi, diebus festis concionando, assiduè excipiendo confessiones, quotidie pueros ac Neophytos Catechismum docendo: Dominicis insuper ac festis diebus Neophytis à prandio Symbolum Apostolorũ uberiùs explicabam. Ita festis diebus binas habebam conciones, alteram inter Missæ sacrificium ad Lusitanos, alteram post meridiẽ ad Neophytos. Erat sanè cur Deo gratularemur fructum, qui inde capiebatur: quippe tantus Neophytorum animis divinarum laudum carmina decantandi injectus est ardor, ut Molucenses pueri in plateis, puellæ ac mulieres in tectis, agricolæ in campis, piscator in mari, pro obscœnis ac vecordibus cantilenis, Christianæ Fidei canerent rudimenta: quæ quoniam in patrium eorum sermonem erant conversa, à novis Christianis æquè & Ethnicis indigenis intelliguntur. Ac Dei beneficio Lusitani hujus regionis incolæ, cæterique tum Christiani tum Ethnici, brevi ita mihi conciliati sunt, ut *invenirem gratiam in oculis eorum.*

Inde

Inde in insulas, quas Mauricas vocant, transmisi, leucas à Moluco LX. In his multi erant Christianorum vici, jam diu inculti, tū quòd absunt ab India longissimè, tum verò quòd indigenæ Sacerdotem, qui apud eos unus erat, interfecerant. In insulis infantes plurimos baptizavi, & trimestri spatio (tamdiu enim ibi moratus sum) lustravi omnia Christianorum loca, eósque mihi Christóque devinxi. Insulæ omnino sunt propter intestina odia, ac bella civilia, periculorum plenissimæ: gens barbara, funditus expers litterarum. quippe nec ulla habet litterarum monumenta, nec quisquam est, qui scribere norit, aut legere. Vulgò quos oderunt, veneno tollunt de medio; atque hac ratione necantur quàm plurimi. Terra est aspera, & sterilis alimentorū: frumento caret & vino: caro quid sit, ferè incolæ ignorant. nulla enim apud eos armenta, nulli greges præter paucos admodum sues, quos mirari magis, quàm gustare licet. Apris abundant: aquæ dulcis magna inopia: orizæ satis est: magna copia arborum, unde panem & vinum petunt: aliæ porrò arbores sunt, ex quarum cortice depexo conficiunt vestem, quâ utuntur omnes. Hæc vobis, Fratres charissimi, eò scripsi, ut sciatis, quantoperè hæ insulæ cælestibꝰ affluant gaudijs. Nimirum hæc omnia pericula

cula atq; incommoda, Christi Domini nostri causâ suscepta, thesauri sunt cælestibus solatijs refertissimi; sic prorsus, ut has insulas perappositas esse credas, ad lumen oculorum paucis annis ex suavissimi fletûs svavitate perdendum. Equidem numquam alibi nec tam liquidis perpetuísque animi voluptatib9 perfusum esse me memini, nec tam leviter labores omnes, & ærumnas corporis pertulisse; quamquam insulas concursarem cinctas inimicis, cultas ab amicis non fidelissimis, easdémque omnibus vel morborum subsidijs, vel vitæ tuendæ præsidijs atque adjumentis destitutas; ut Divinæ Spei potiùs quam Mauri insulæ appellandæ esse videantur.

Gens est in his locis ab Evangelio aliena, Javaros vocant, qui homines quoscumque nacti sint interficere, immortalitatis instar putant. Ac sæpe usu venit, ut cùm alienorũ copia desit ad cædem, uxores ac liberos cædant suos. Ijdem ingentes Christianorum faciunt strages. Vna ex ijs insulis tota perpetuis pænè motibus terræ cõcutitur: ignémque ac cinerem evomit. Narrant indigenæ, ignis subterranei tantam vim esse, ut rupes, quibus oppidum est impositum, conflagrent totæ. Id adeò verisimile videtur: sæpe enim usu venit, ut saxa ignea erumpant, maximarum instar arborum; ubi autem ventus exi-

stit

stit vehementior, è cavernis tanta vis cineris effunditur, ut viri ac mulieres laborantes in campis domum revertantur cinere oppleti, adeò. ut vix eorum oculi, ora, nares apparerent. Dæmones magis credas esse quàm homines. Hæc ego ex indigenis cognovi, ipse non vidi: quamdiu enim ibi versatus sum, ventorum impetus nullus fuit. Illud etiam ex eisdem comperi, illiusmodi ventis per flantibus, tantam copiam afferri cineris, ut complures apros excæcatos opprimat, qui, ubi remisit ventus, passim reperiuntur mortui. Eâdem quoque tempestate perhibent inveniri plurimos pisces extinctos in littore, quos videlicet eadem oppresserit pestis. Argumento esse, quòd pisces, qui cinere aspersam hausissent aquam, vulgò interirent. Percontantibus indigenis, quid tandem illud sibi vellet; Inferorum sedem esse respondi, quo detruderentur quicumque colerent Idola. Terræ motus quanti sint, vel hinc intelligi potest, quòd die Archangelo Michaëli sacro, cùm in trmplo sacrum facerem, usque eò terra contremuit, ut pertimescerem, ne ipsa everteretur Ara. Fortasse S. Michaël cunctos illius regionis cacodæmones, divino cultui adversantes, cælesti vi malè multatos fugabat in tartarum.

Omnibus Christianorum pagis perlustratis,

tis, reverti Molucum, ubi tres item menses contrivi, diebus festis binas habendo conciones, alteram manè ad Lusitanos, alteram à prandio ad Neophytos; excipiendo quotidie confessiones tum antemeridiano tempore, tum pomeridiano; Catechismúmque prætereà inculcando. Catechismi labore perfunctus Dominicis festísque diebus, Symboli capita Christianis indigenis explicabam hoc ordine, ut singula singulis diebus capita explanans in idolorum cultum inveherer. Quartâ porrò ac sextâ feriâ ad Lusitanorum uxores indigenas separatim verba faciebam de articulis Fidei, de præceptis Decalogi, de Sacramentis confessionis & Communionis. Erat tum Quadragesimæ tempus, itaq; earum permultæ ad sacrosanctam Eucharistiam accesserunt, quæ ad id tempus accesserant numquam. Sex mensium spatio, quibus Moluci fui, cum Lusitani eorúmque conjuges & liberi, tum verò Christiani indigenæ magnos fecerunt in pietate progressus. Sub Quadragesimam non levibus cum amoris indicijs, non solùm à Christianis, sed etiam ab Ethnicis, digressus ex Moluco, Malacam versùs vela feci. Nec verò occupationes in itinere defuêre. In insula quadam obvia quatuor Lusitanorum naves cùm offendissem, substiti apud eos dies viginti: ter concionem habui;

com-

complures peccatis expiavi; multos ad pacem & concordiam adduxi. E Moluco decedens, ut amicorum Neophytorúmque comploratíonem vitarem in digressu, repentè navim de media nocte conscendi. Verùm ne id quidem satis fuit ad profectionem meam occultandam. Ne multis. Deprehensus ab illis sum. Tum verò nocturnus ille digressus ab ijs, quos Christo pepereram filijs, sic me affecit, ut magnopere vererer, ne quid incommodi meus discessus afferret illorum saluti. Ergo eis præcepi, ut certo in templo Catechismi exercitationem urgerent cuncti quotidie; Neophyti autem brevem Symboli explicationem à me traditam edíscerent. Sacerdos quidam pius mihíque perfamiliaris hoc suscepit oneris, ut eis per binas horas quotidie operam daret, & semel in hebdomada ad Lusitanorum uxores de articulis fidei, Sacramentisque confessionis & Eucharistiæ sermonem haberet.

Malacæ cùm essem, perfeci ut mortui in Purgatorio cruciati, itémque vivi lethali conscientiæ vulnere affecti commendarentur quotidie sub noctem per compita piorum precibus. Quod quidem ut excitabat ad pietatem bonos, ita improbis inijciebat terrorem. Ad eam rem civitas certum hominem constituit, qui quotidie noctu alterâ

manu laternam, alterâ tintinnabulum tenens obiret urbem; & in compitis ac vijs identidem magnâ voce carmen hujusmodi decantaret: *Orate pro animis fidelium Christianorum, qui in Purgatorio torquentur.* Deinde illud adijceret carmen: *Orate pro ijs quoque, qui lethali peccato oppressi relevari non laborant.*

Rex Moluci Saracenus, Regis Lusitani paret imperio, idque sibi honori ducit. Proinde illum nominans, vulgò Dominum suum appellat; idem loquitur perbene Lusitanicè. Molucus regio non in continenti est, sed tota insulis constat: Insulæ autem præcipuæ omnes sunt in ditione Saracenorum. Rex ipse quò minùs Christianus fiat, non tam Mahometis religione impeditur, quàm libidinis ac liberioris vitæ licentiâ: ceteroquin Saraceni nihil habet, nisi quòd præputijs caret à puero, & centies duxit uxorem; centum quippe habet conjuges, præter innumerabiles pellices. Saraceni Molucenses disciplinæ Mahometicæ sunt planè rudes, carent ferè Cacizibus; pauci, quos habent, & imperiti sunt, & peregrini. Rex amicè admodum me amplectebatur, sic ut ejus regni proceres iniquo id animo ferrent. Expetebat amicitiam meam, spem ostentans suscipiendæ aliquando Christianæ religionis; ro-
ga-

gabátque ne ab se propter Mahometicæ sectæ notam abhorrerem: quippe ajebat eumdem à Saracenis & Christianis coli Deum, & fore aliquando tempus, cùm utrique in eamdem coirent religionem. Quoties eum invisebam, summopere meo congressu lætari videbatur: numquam tamen efficere potui, ut fieret Christianus. Hoc tamen expressi, ut polliceretur se unum è liberis, quos habet plurimos, ad Baptismum daturum, ea conditione, ut is deinde Christianus Mauricarum insularum regnum obtineret.

Anno M. D. XLVI. profecturus in Molucum scripsi ex Amboino ad Socios, qui proximè è Lusitania venerant, ut anno insequenti eorum aliqui navibus, quæ ex India Malacam petituræ essent, eò transmitterent, itaque fecerunt. Tres è Societate, in his Sacerdotes duo, Joannes Beira, & Ribera, Malacam tenuerunt peropportunè, cùm ego eodem ex Moluco reversus appellerem. Unum mensem unà fuimus, cum maxima mea jucunditate. Ego verò non diffido tales eos fore, ut in insulis Molucis magno sint emolumento rei Christianæ. Molucum versùs Augusto mense solverunt. iter est bimestre. Malacæ cùm essent, eos de Moluci moribus docui. Pro usu quem habebam, præscripsi quemadmodum se cum illa gererent natio-

 ne,

ne. Tam longè absunt ab India, ut semel dumtaxat in anno litteras ab eis accipere possimus. Eisdem mandavi, ut quotannis de Christianæ religionis illis in locis amplificatione, déque spe, quæ in posterum ostenditur, perscriberent Romam: receperunt se esse facturos.

Quatuor ipsos menses Malacæ substiti, idoneam tempestatem ad traijciendum in Indiam expectans. quod tempus spiritualibus occupationibus vacuum non fuit, ut cùm omnibus unus satisfacere nequirem, nonnullorum subirem simultates; quæ cùm ex peccatorum pœnitentia nascerentur, nihil me offendebant, delectabant potiùs, quòd sanctum eorum consilium declararent. Multum etiam temporis ponebam in discordijs inimicitiisque tollendis, quæ inter Lusitanos viros bellicosos facilè existunt. Catechismo absoluto, pueris ac Neophytis Symboli explicationem inculcabam patrio ipsorum vulgique sermone, ut perciperetur ab omnibus: idem antea in Moluco feceram, ut eversâ Idolorum superstitione, in eorum animis firma jacerem fundamenta Christianæ religionis. Hæc explicatio uno anno tradi commodè potest, vicena circiter quotidie verba inculcando, ut à rudibus Neophytis facilè mandentur memoriæ. Nam intereà histo-

ria

tia de Christi adventu sæpiùs iteranda est, ut unà cum explicatione penitus insideat atque hæreat in mentibus. Ita demum veritatem agnoscunt, & fabulas ac veneficia, quæ tum veteres, tum recentes Ethnici commemorant, execrantur. Mandavi diligenter certo Sacerdoti, ut mei muneris Vicarius quotidie antemeridianis horis, eadem illa ibidem inculcaret; qui se facturum recepit. spero fore, ut res Deo favente cursum teneat suum. Discedenti mihi Malacâ primarij cives vehementer institerunt, ut eò duos è Societate mitterem, qui apud se suásque conjuges & Christianos indigenas, sacras conciones haberent, itémque suis liberis, servis, ancillis Christianam doctrinam traderent meo loco. Id illi tantoperè efflagitârunt, ut tam pio postulato, hominum præsertim de nostra Societate optimè meritorum, omni ratione satisfaciendum putem.

Aprili mense anni M. D. XLVIII. (hoc enim tempore naves Malacam, & Molucum petentes ex India solvunt) Malacæ mercator Lusitanus, vir magnâ religione ac fide, mihi de insulis permagnis (Japoniam eam regionem vocant) nuper repertis multa narravit. Ibi in Christi cultu propagando longè plùs, quàm in quavis Indiæ parte profici posse, quòd gens universa sit sciendi cupida præ-

ter ceteras. Cum hoc mercatore Japon quidam venit (Angeri nomen est) qui ex sermone cum Malacensibus habito, me convenire statuerat. Is cùm in Japonia pro familiaritate Lusitanis quibusdam institoribus conscientiæ suæ aperuisset vulnera, petivit ab eis remedium aliquod sanandi animi, Deíq; placandi. Itaque auctores illi fuerunt, ut ad me Malacam veniret: paruit ille, & in eorum conscendit navim. Sed quo tempore is Malacam appulit, ego versabar in Moluco. Ergo ille re cognitâ, domum revertitur tristis. Erat jam in conspectu Japoniæ, cùm repentè exortâ tempestate, non sinè periculo adversus ventus eum rejecit Malacam. Ibi de meo reditu certior factus, summo Christianæ religionis cognoscendæ studio me convenit. Lusitanicæ linguæ haud rudis est: itaque sinè interprete inter nos agebamus. Si ceteri Japones similiter ùt Anger avidi sunt discendi, profectò omnibus, quotquot repertæ sunt gentibus, ingenio antecellunt. Is cùm Catechismi explicationi interesset, accuratè sanè Symboli capita referebat in libellum. Sæpe etiam in templo in cœtu populi, quæ edidicerat, memoriter recitabat, & multa acutissimè percontabatur; omnino est sciendi percupidus, quod ad percipiendam brevì veritatem plurimùm valet.

Octa-

Octavo, quàm Malacam venerat, die, in Indiam contendit. Equidem optabam, ut in eam, quâ ego vehebar, navim conscenderet; sed pro familiaritate, quæ illi intercedebat cum alijs Lusitanis petentibus Indiam, homines amicissimos de se optimè meritos relinquendos non putavit. Cocini hominem expecto intra decem dies.

Percontatus sum ex Angere, quem dixi, utrùm si in Japoniam cum eo profectus essem, censeret incolas Christi sacra suscepturos. Et ille, populares quidem suos non continuò his quæ dicerentur assensuros esse respondit, sed multis interrogationibus exploraturos, quid afferrem religionis; maximè verò utrùm dictis facta congruerent. Quòd si duo illa præstarem, ut & consentaneo sermone satisfacerem ipsorum percontationibus, & probitate vitæ eorumdem reprehensionem vitarem; denique re perspectâ & cognitâ Regem, nobilitatem universam, civésque ceteros adultos ad CHRISTVM utique se aggregaturos; gentem enim eam esse, quæ ducem sequatur rationem. Mercator deinde Lusitanus meus necessarius, diu in Japonia versatus, commentarios mihi sanè diligenter scriptos reliquit de terræ descriptione, gentísque moribus, déque ceteris rebus, quas partim ipsemet viderat, partim co-

cognoverat ex auctoribus sanè idoneis. Eos ego commentarios his inclusos litteris ad vos mitto. Quotquot huc ex Japonia redeunt Lusitani mercatores, mihi confirmant, me si eò trajecero, haud paulò meliùs illis in locis, quàm in India operam positurum; quippe cùm futura sit res cum natione, quæ facilè obtemperet rationi. Præsagire videtur animus, me aut alium è Societate ante biennium in Japoniam iturum: etsi iter est periculosum, cùm propter incredibiles maris illius tempestates, tum verò propter Sinarum prædonum latrocinia; ut multæ naves partim à fluctibus, partim à piratis intereant. Proinde, Patres ac Fratres charissimi, incolumitatem nobis à Deo precamini ejusmodi navigationem suscepturis, in qua plurimi intereant. Interim Anger Lusitanam linguam perdiscet: indicas Lusitanorum opes, Europæorum artes, nostrámque vivendi rationem cognoscet: ritè comparabit se ad Baptismum, mihíque in Catechismo, copiosáque de Christi adventu explicatione Japonicè vertenda operam dabit; siquidem perbene scribit Japonicè.

Octavus est dies cùm perveni in Indiam, necdum socios visere mihi licuit. Itaque de fructu ex his regionibus me absente percepto, quod scribam nihil habeo: socios ipsos

suâ

suâ ſponte de ſuis ad vos rebus ſcripturos arbitror. E Malaca in Indiam revertens, magnis ſum defunctus periculis: quippe navis trium dierum totidémque noctium tempeſtate jactata eſt tantâ, quantam numquam videre me memini. Complures è vectoribus jam mortem ſuam deplorantes vovebant, ſi divinâ ope exempti eſſent periculo, numquam omnino in poſterum navigaturos. Mercatores vitam redimere coacti ſunt cunctarum mercium jacturâ. Ego cùm tempeſtas maximè ſæviret, Deo ſupplicans deprecatores adhibui, ex terris quidem primùm noſtræ Societatis homines, ejusdémque ſtudioſos, deinde Chriſtianos univerſos, expetens per Chriſti Sponſam Eccleſiam, cujus etiamnum in terra morantis aſſiduæ preces audiuntur in cœlo, cœleſti Regi quàm diligentiſſimè commendari. Inde Superos ordine imploravi omnes, ac præcipuè Petrum Fabrum, cum ceteris noſtris; ut cùm vivis tum mortuis deprecatoribus uterer ad iram divini Numinis leniendam. Denique omnibus vel Angelorum ordinibus, vel ſanctorum hominum gradibus ſigillatim imploratis, quò faciliùs delictorum meorum innumerabilium veniam impetrarem, ſanctiſſimam Dei Parentem patronam adhibui, quæ cœli Regina nullo negotio quicquid orat fi-

lium, exorat. Ad extremum spe omni in immensis Christi Domini ac Salvatoris nostri promeritis collocatâ, tot tantísque præsidijs circumseptus longè majore perfruebar voluptate in horribili illa tempestate periclitans, quàm deinde præsenti periculo liberatus. Me sanè pudet nequissimum omnium mortalium in ultimo discrimine præ cœlesti lætitiâ tantam lacrymarum vim profudisse. Itaque dum Christum Dominum suppliciter orabam, ne me ex illo periculo eriperet, nisi ad paria, aut etiam graviora pericula sui obsequij gloriæque causâ reservaret; sæpenumero mihi Deus indicavit interiore quodam instinctu, quàm multis me vel corporis periculis, vel animi detrimentis prohibuerint supplicationes ac sacrificia Sociorum, partim in terris militantium, partim cœlestibus fruentium præmijs. Hæc eò pertinent Patres ac Fratres in Christo charissimi, ut pro tot tantísque beneficijs, per vos ipsos & Deo & vobis persolvam quod debeo, quoniam ipse per me neutiquam sum solvendo. Sermonem de nostra Societate ingressus, neque loquendi, neque scribendi exitum reperio; sed vel nolentem huic sermoni atque epistolæ finem imponere navium festinatio cogit. Clausulam autem nullam invenio accommodatiorem, quàm ut illud profitear, *si oblitus umquam*

*quam fuero tui* Societas JESU, *oblivioni detur dextera mea:* adeo quantum Socijs universis, & quàm multis nominibus debeam, perspexi. Ac Deus quidem vestris precibus adductus hoc mihi tantum beneficij dedit, ut pro meo captu intelligerem, quantum debeam Societati. Neque enim tanta in me vis atque virtus est animi, quæ tam cumulatum promeritum capere possit omnino. Verumtamen ut aliqua ex parte fugerem ingrati animi notam, Deus pro sua benignitate ac misericordia aliquid mihi, etsi parum, ejus notitiæ est impertitus. Sed finis sit. JESUM Dominum oro, ut quando in suam nos Societatem adscitos in hac ærumnosa vita congregavit, tandem in beata illa congreget æternitate in cœlestium Societatem vocatos. Præsertim cùm in hac vita ejus causâ corporibus adeo distracti simus.

Vos si quid nobis aliquando mandatis, aut in Moluco versantibus, aut in Japoniam profecturis, meminisse oportet, ante triennium & novem menses ad vos perferri non posse responsum. Ratio in promptu est: nam vestræ litteræ nono demum mense in Indiam perveniunt; intercedunt deinde octo item menses, ut naves idoneâ tempestate petant Molucum; in profectione ac reversione, ut secundissimâ navigatione utantur, menses

consumuntur xxi. denique ex India post octavum mensem Romam litteræ perferuntur; idque cùm ventis ac tempestatibus navigatur secundis: nam interdum propter incommodas tempestates plus anno in Romano itinere ponitur. xii. Kal. Febr. Cocini.

## Epistola VII.

### Jacobo Pereriæ, Malacam.

Summarium. *Amico commendat studium bonæ conscientiæ. Nuntiat binos Socios Malacam venire.*

*Gratia & charitas D. N. &c.*

Omnino libentiùs te vidissem ante tuam in Sinas profectionem, quàm nunc per litteras alloquor absentem; sed Prætor hibernare me voluit Goæ. Itaque mos ei gerendus fuit. Nam mihi quidem in animo erat in Comorino Promontorio meos Socios intervisere. Sanè gavisus essem, si tecum, tamquam cum amico fidelissimo coràm quædam super itinere Japonico, quod post annum suscipere cogito, communicare licuisset. Comperi enim bonis auctoribus, posse ex illa regione uberrimos animorum percipi fructus, Christique Fidem inibi longè ac latè propagari. Mando tibi pro amicitia, ut priùs quàm proficiscaris in Sinas, mercem quam-

quamdam compares ſanè pretioſam, quam Malacenſes Sinæque mercatores ferè negligunt, bonam dico conſcientiam, quæ iſtiuſmodi hominibus parum admodum eſt nota. Vulgò enim mercatores ita ſibi perſvadent, ſi animorum ſuorum conſcientiæque ſuæ negotium agant, ſe continuò decocturos. Ego tamen Deo adjutore futurum confido, ut Jacobus Pereria, meus amiciſſimus, magnas bonæ conſcientiæ ſecum afferens merces, locupletetur; tametſi ceteri ejuſmodi rerum incuriâ ad egeſtatem redigantur. Equidem Deum orare non deſiſtam, ut te & deducat in Sinas, & inde ad nos reducat incolumem, auctiorémq; ac locupletiorem animi bonis, magìs utique quàm fortunæ. Mitto iſtuc Malacam Socios duos, alterum (Franciſco Peræ nomen eſt) Sacerdotem, qui meo inſtituto concionibus, confeſſionibus, inſtitutioni puerorum ac rudium det operam: alterum hujus adminiſtrum, qui Luſitanorum liberos imbuat litteris; quò poſthac pios ac ſalutares libellos lectitent citiùs, quàm codices litigioſos Malacenſium, quibus legendis pueri fiunt Malacenſes è Luſitanis. Chriſtus Dominus técum ſit, perinde atque ego illum mécum eſſe cupio.

IV. Non. Apriles.

Goæ.

Epi-

# EPISTOLA VIII.

## Francisco Henrico, in Travancoridem.

Summarium. *Consolatur magnis laboribus parum proficientem. Detegit dæmonis aliò migrare suadentis fraudes.*

*Gratia & Charitas D. N. &c.*

EGo verò mallem Frater charissime, coràm, quàm per litteras tecum agere; tibique pro laboribus & incommodis, quæ Christi causâ sustines, aliquid afferre solatij. Neque enim ejusmodi solatia profectò expetis, quibus delectantur ij, qui hilariter jucundéque ut vivant, hujus vitæ voluptatibus perfruuntur. Etenim horum vicem miserari debemus, illorum autem invidere conditionem, quibus, ùt Apostolus ait, *dignus non erat mundus.* Noli mœrere, Frater, quòd minùs, quàm velles, in istorum Neophytorum cultura proficias; quippe cùm & gens ipsa, ùt scribis, idolorum cultui dedita sit, & Rex à Christi religione alienus acerbè insectetur Christianos. *Plus* utique proficis, quàm tu putas, infantes diligentissimè conquisitos cœlo perBaptismum pariendo. Nam si circumspicere animo voles, repeties profectò ex Indis, vel albis, vel nigris, paucos in cœlum pervenire, nisi eos, qui quatuorde-

cim annis minores cum baptiſmali innocentia excedunt è vita. Vidésne, Frater chariſſime, te, uti dixi, plus iſthic, quàm putes, proficere? Id adeò cerni in pueris licet, qui abs te baptizati cœleſti jam fruuntur beatitudine, quâ nimirum carerent, ſi tu ex iſtis locis diſceſſiſſes, neque eos per baptiſmum Chriſto genuiſſes. Enimverò ſempiternus hoſtis animorum, te, quem vehementer odit, quamprimùm iſtinc excedere exoptat, ut ex iſto Travancoridis regno in cœli regnum nemo vocetur in poſterum. Genus eſt ejus inſidiarum, majorem alibi divini obſequij ſpem oſtentare: ut videlicet ſolicitet atque avertat eos, qui utiliter ubi ſunt, operam navant Deo. Itaque vereor, ne te ſuo illo artificio aggreſſus idcircò ſolicitet, ut ex iſtis abigat locis. At memento te octo menſibus, quibus iſtic verſaris, plures animos conſervâſſe, moribundis, infantibus baptizandis, quàm omnibus annis, quibus in Luſitania atque India fuiſti. Quare deſine mirari, cur tibi tantum faceſſat negotij Satan. Quippe ille id agit, id pugnat, ut te de iſta regione expellat in aliam, ubi ſaluti conſulas pauciorum. Illud autem ſcito, quod tibi gratum fore arbitror, Socios complures menſe Septembri ex Luſitania adveniſſe. His ego Goâ diſcedens imperavi, ut nobis venirent

rent auxilio. Nunc refero me Goam pij cujusdam negotij causâ; quod si conficere potuero, magna me spes tenet, Christianos factum iri quàm plurimos. Tu Deum depreceris velim, ut tametsi nostra peccata impediant, quò minùs idonei ejus administri simus; ipse tamen pro suâ bonitate infinita, immensáque in homines charitate, ad religionis propagationem nostrâ qualicumque operâ uti ne gravetur. XI. Kal. Novembris. Punicali.

## EPISTOLA IX.

### P. Ignatio Lojolæ Præposito Generali Romam.

Summarium. *Accuratè admonet de Religionis & Societatis JESU in India statu. Describit Indorum indolem, labores Missionum, virtutes Operis, nominatim Rectori Collegij Goani necessarias. Narrat loca, quæ Societas excolit. Neophytos contemni dolet. Subdit varia de Iaponia. Simonis Roderici optat præsentiam. Petit ut det litteras ad Socios præceptis refertas; & consolatorias ad egregium Operarium. Monet ab Episcopi Socio institutum Seminarium. Sacrum postulat ad S. Petri Ianiculensis. Positis humi genibus scribens precibus Ignatij se commendat.*

*Gratia & charitas Christi D. N. adsit nobis semper, Amen. Mi Pater in Christi visceribus unice,*

ETsi litteris sociorum, quæ hinc Romam proximè missæ sunt, certiorem te factum arbitror, quàm feliciter his locis res Christiana, vestrâ deprecatione, Deíque beneficio geratur; tamen videntur etiam nonnullæ meæ partes. Itaque pauca quædam de hisce locis tam procul ab Urbe remotis hac epistolâ perstringam. Primùm gens omnis Indica in universum (quantum videre potui) est admodum barbara, nec quicquam, nisi suis, hoc est, barbaris moribus consentaneum avet audire: de rerum divinarum ac salutarium cognitione nihil admodum laborat. Ingenio plerique sunt pravo, & à virtute abhorrenti. Incredibili mobilitate animi atque inconstantiâ, fide exiguâ, ac pene nullâ: tanta est consvetudo peccandi atque fallendi. Hîc nos tum in Christianis excolendis, tum in convertendis Ethnicis multùm elaboramus. Proinde par est nos filios tuos præcipuè tibi curæ esse, tuisque apud Deum precibus continenter juvari. Neque enim te fugit, quantum negotij sit homines erudire, qui neque Dei notitiam habeant, neque pareant rationi; sed alienum ac mi-

ni-

nìmè ferendum putent, avocari à cosvetudine peccandi, quæ jam naturæ vim obtineat propter vetustatem.

Hæc loca sunt sanè laboriosa, vel propter summos æstatis calores, vel propter maximos hyemis ventos atque imbres. Alimenta atque subsidia in Socotora, Moluco, Promontorio Comorino perexigua; labores tum corporis tum animi, propter ingenia hominum, quibus confligandum est, ingentes planè atque incredibiles. Linguæ insuper harum nationum haud sanè faciles ad cognoscendum. Discrimina porrò utriusque vitæ & plurima & maxima. Atqui ut omnes è Societate JESU immortales Deo gratias agant, illud liquidò affirmare possum, Socios hosce omnes, eosdémque filios tuos, qui in India versamur, maximæ Deo esse curæ, ut divinitus non solùm animorum corporúmque periculis eximamur; sed etiam omnibus (id quod omnes summoperè mirantur) Lusitanis, privatis pariter ac Magistratibus, Præpositísque Ecclesiasticis, itémque Indis, tum Christianis tum Ethnicis, chari simus ac jucundi. Atque Indi omnes, vel Ethnici, vel Saraceni (quod adhuc intelligere potui) sunt admodum imperiti. Quapropter ijs, qui hæc loca Evangelij propagandi causâ peragraturi sunt, non tam litte-

ris opus eſt multis, quàm virtutibus; maximè verò obedientiâ, perſeverantiâ, patientiâ, charitate, eximiáque adverſus plurimas peccandi illecebras caſtimoniâ, denique non vulgari conſilio ac prudentiâ ad res gerendas, valetudinéque ac robore animi & corporis, ad perferendos labores & ærumnas. Hæc eò ſcripſi, quòd neceſſarium exiſtimem, ſpectari diligenter virtutes eorum, qui poſthac ſunt in Indiam venturi. Quòd ſi qui ſatis probati non erunt, quæſo te, ſint ejusmodi, quibus magnopere confidas. Tales enim India deſiderat, viros ſcilicet egregiâ caſtitate atque humilitate, qui nullam ſpeciem præſeferant ſuperbiæ atque elationis.

Quem miſſurus es Rectorem Goani Collegij, alumnorum indigenarum, itémque Sociorum, hunc præter alias Rectoribus neceſſarias, duabus potiſſimùm laudibus præditum eſſe oportet. Primùm, ſingulari obedientiâ ſit inſignis, ut obſequio atque humilitate benevolentiam ſibi conciliet Magiſtratuum Præpoſitorúmq; Eccleſiaſticorum. Utrique enim, ſi uſquam, his locis obſervantiam & obedientiam ab ijs, quibus præſunt, vel maximè requirunt. Qui nos, ſi obſervantes dictóque audientes eſſe videant, mirificè amplectantur; ſin minùs, penitus averſentur. Deinde facilitate excellat, affabi-

bilísque in congressu atque sermone sit potiùs, quàm severus ac gravis, ut animos cùm omnium, tum verò alumnorum & Sociorum, quibus præfuturus est, omni ratione devincire sibi & velit & possit. Omninóque ne is sit, qui timeri se quàm amari malit; atque id agat, ut per severitatem atque terrorem Socios sibi commissos tamquam servos in ditione habeat ac potestate. Istiusmodi enim acerbitas multis exitum, paucis aditum in Societatem patefaceret. Mihi verò nemini vis adhibenda videtur ( ni fortè amoris vis & charitas ) ad quemquam invitum in Societate retinendum; sed potiùs à Societatis instituto abhorrentes dimittendos censeo, vel invitos: aptos verò & idoneos benevolè ac leniter tractandos, ut charitate devincti in ea conserventur, & virtutibus ac meritis augeantur; præsertim verò cùm in his locis tantum ærumnarum Christi Domini nostri causâ perferant. Et sanè, ut mihi videtur, Societas JESU nihil est aliud, nisi Societas amoris atque concordiæ, à qua profectò acerbitas ac timor servilis longissimè abhorret. Hæc eò spectant, ut virum exquiras huic oneri parem & accommodatum; qui talis utique esse debebit, ut in imperando obsequendi magis præseferat studium, quàm imperandi.

Pro usu, quem horum locorum habeo, illud mihi affirmare posse videor, per Indiæ indigenas nullam aperiri viam Societatis nostræ apud eos perpetuandæ: Christianam autem religionem ijs, qui hîc sumus, superstitem vix futuram. Itaque necesse est isthinc Sociorum supplementa submitti. In omnibus Indiæ partibus ubi Christiani sunt, aliquot è Societate versantur: in Moluco quatuor, Malacæ duo, sex in Comorino Promontorio, Colani duo, totidem Bazaini, in Socotora quatuor. Hæc autem loca distant inter se maximis intervallis, velut Molucus ab urbe Goa leucas ampliùs mille, Malacæ quingentas, Comorinum promontorium CC. Colanum CXXV. Bazainum LX. Socotora CCC. Singulis autem locis unus est è Societate, quibus pareant ceteri. Et quoniam qui præsunt, viri sunt prudentiâ ac virtute præstantes, à reliquis nihil offenditur.

Lusitani in his regionibus mari dumtaxat potiuntur, & orâ maritimâ. Etenim in continenti nihil habent præter ea oppida, ubi versantur. Indigenæ ipsi, pro peccatorum magnitudine suorum, ad Christianam religionem minimè accommodati sunt. Quippe ab ea sic abhorrent, ut molestissimè ferant, si quando inferamus de illa sermonem: rogari autem ut Christiani fiant, mortis in-

star

ſtar putant. Itaque in Chriſtianis tuendis opera in præſentia ponitur. Et ſanè ſi inſigniora eſſent Luſitanorum in Neophytos ſtudia, plurimi ad Chriſtum ſe aggregarent; ſed cùm eoſdem contemni deſpicique Ethnici videant, nolunt videlicet fieri Chriſtiani. Quare cùm in his locis mea opera minimè ſit neceſſaria, cúmque ex idoneis auctoribus cognôrim, Japonum regionem eſſe Sinis adjacentem, cujus incolæ omnes Ethnici ſint, à Saracenis Judæiſque prorſus intacti, novarúmque rerum cùm divinarum, tum naturalium avidiſſimi, eò quàm primùm contendere ſtatui. Hoc ego iter ſuſcipio magnâ animi mei voluptate, majore ſpe, quòd planè confidam in illa natione noſtri laboris fructus ſolidos ac perpetuos fore. In Goano Collegio, cui à S. Fide nomen eſt, tres alumni ſunt Japones, qui eò mecum Malacâ ſuperiore anno venerunt: mira de Japonia narrant. Adoleſcentes ſunt optimis moribus, acerrimo ingenio, Paulus inprimis, qui bene longam ad te epiſtolam mittit. Is octo menſium ſpatio legere, ſcribere, loqui Luſitanicè perdidicit: nunc uſitatis meditationibus haud ſanè inutiliter exercetur. Religionis Chriſtianæ myſterijs eſt imbutus ſatis. Magnam in ſpem venio, Deo adjutore Chriſtianos in Japonia factum iri quàmplurimos.

rimos.

rimos. Equidem primùm eorum Regem, deinde Gymnasia & Academias adire constitui, magno (ùt spero) cum quæstu animorum. Japonum religiones, ùt Paulus tradit, ex Cenico (quæ urbs est ultra Sinas atque Cathaium, à Japonia iter unius & dimidiati anni) adscitæ perhibentur. Ex Japonia tùm de illius gentis moribus ac litteris, cum etiam de religione ac disciplina Cenicensi faciam te per litteras certiorem. Etenim in Sinarum regno universo, atque Cathaio nulla alia vigere fertur disciplina, præter eam, quæ in Cenicensi Academia longè celeberrima traditur. Ergo ubi perspexero illorum litteras Gymnasiique doctrinam, tum verò fusè ad te cuncta perscribam. Nec prætermittam, quin dem litteras eisdem de rebus ad Academiam Parisiensem, ut ex eâ reliquæ Europæ Academiæ illa eadem cognoscant. E Socijs unum omninò Europæum ducere mecum cogito Cosmum Turrianum Valentinum, qui hîc se ad Societatem nostram contulit, ac præterea tres illos, quos dixi, Japonios adolescentes. Proficiscemur Deo approbante, Aprili mense proximo. Abest Japonia ab urbe Goa leucas ampliùs M. C C C. Ex itinere & urbs Malaca & Sinæ attingendi sunt. Nullis verbis exequi possim, quantum ex provinciæ hu-

jus susceptione fructum capiam divinæ voluptatis. Constat enim, iter plurimis ac maximis tempestatum, syrtium, piratarum periculis obnoxium esse; ut præclarè agi cum navicularijs videatur, si alternæ naves Iaponicum teneant cursum. Ego verò interiore quodam animi sensu sic affectus animatúsq; sum, ut Iaponicæ profectionis consilium abijciendum mihi non putem, ne si pro certo quidem habeam majora discrimina subeunda, quàm umquam antea in omni vita. Tantam mihi spem Christianæ religionis propagandæ Pauli Iaponis sermo, vel ipse potiùs Deus, injecit. Quàm opposita & parata sit illa regio ad Evangelij semen excipiendum, intelligi licebit ex ea narratione, quam cum his ad te litteris mitto.

In hisce Indiæ locis sunt ad quindecim Lusitanorum oppida, in quibus multa excitarentur domicilia Societatis, si ad ea inchoanda aliquid stipendij ex publico Rex attribueret. Hac ego de re egi cum ipso Rege per litteras. Simonem quoque Rodericum de rebus omnibus certiorem feci, & simul admonui magnoperè è re Christiana futurum, si factâ abs te potestate ipsemet huc transmitteret cum quàm plurimis è Societate magnáque Concionatorum manu; quippe ejus adventu (favente videlicet Rege) ali-

aliquot Societatis Collegia excitari posse. Mihi verò, mi Pater, Simonis, viri apud Regem gratiosissimi, adventus in Indiam peropportunus videtur futurus. Veniet enim cum regiâ facultate vel inchoandi Collegia, vel juvandi Christianos, & qui sunt & qui forent, si esset qui eis faveret. Velim super hac re ad Simonem scribas quid fieri velis. Antonius enim Gomes mihi narravit, Simoni certum ac deliberatum esse, cum multis è Collegio Conimbricensi traijcere in Indiam. Non desunt tum Romæ tum alibi Socij à concionibus & à litteris alieni, qui magno hîc emolumento rei Christianæ esse possent, si modò essent satis experti, & cum ceteris virtutibus ad Ethnicos juvandos necessarijs, tũ verò insigni castimoniâ ornati, magnisque corporis animique viribus præditi ad ingentes horum locorum labores sustinendos. Hujusmodi igitur Socios nobis ad arbitrium tuum curabis. Operæ pretium, Deóque, ut spero, gratum feceris, si ad hos omnes è Societate, qui in India versamur, plenam præceptorum spiritualium epistolam miseris, tamquam testamentum, quo minimis hisce filiis à conspectu tuo ablegatis divitias atq; opes à Deo acceptas impertias. Quæso te (quod tuo commodo fiat) ut nobis aliquando geras morem. Henricus Henriques Sa-

 cer-

cerdos est è Societate Lusitanus, vir egregiæ virtutis & exempli: is versatur in Promontorio Comorino. Malavaricè perbenè & scribit & loquitur: atque adeò unus pro multis sanè utiliter elaborat. Concionibus quippe & privatis sermonibus assecutus est, ut Christianis indigenis mirè venerandus esset & charus. Obsecro te, ut tam bonum virum, tam laboriosum, tam utilem Christi vineæ operarium, *qui portat pondus diei & æstus*, per litteras consoleris.

Cranganorum oppidum est à Cocino millia passuum xx. Lusitanæ ditionis. hîc Frater Vincentius è sanctissima S. Francisci disciplina, idémque Goani Episcopi Socius, paritérque nostræ Societatis amantissimus, Seminarium instituit sanè luculentum, ubi indigenæ adolescentuli facilè centum aluntur, & ad pietatem ac litteras informantur. Quamquam huic Vincentio benevolentiâ erga Societatem non concedit ipse Goanus Episcopus, qui unus præest Indiæ universæ, sed nostrorum hominum studiosissimus amicitiam magnoperè expetit tuam. Quare velim ad eum scribas. sed redeo ad Vincentium. Is pro mutua benevolentia mihi confirmavit, velle se id Societati nostræ Seminarium committere ac tradere. Proinde me rogavit etiã atque etiam, ut te de suo consilio facerem

cer-

certiorem, Sacerdotémque è Societate curarem, qui Seminarij alumnos doceret litteras, & Dominicis ac festis diebus ad domesticos ac populum verba faceret. Nam præter incolas Lusitanos plurimi Christiani sunt accolæ in pagis LX. orti ab ijs, quos S. Thomas Christianis sacris initiavit: alumni porrò Seminarij è prima nobilitate. Hoc in oppido duo sunt templa, alterum S. Thomæ, S. Jacobi alterum. Exoptat is, quem dixi, F. Vincentius, ut anniversariam utriq; templo peccatorum omnium Indulgentiam à Pontifice Maximo cures, in dies Apostolis Jacobo & Thomæ sacros, septenósque dies consequentes. Idque ad augendam indigenarum pietatem, qui prognati à veteribus illis S. Thomæ Neophytis Thomæi Christiani vulgò vocantur. Idem præter has, quas dixi, Indulgentias, Sacerdotem, qui hoc in oppido Concionatoris & magistri munere fungatur, expectat. His ille beneficijs ita nobis erit devinctus, ut & in vita & post mortem noster sit futurus. Is verò hoc mihi negotium magnoperè mandavit, dicíque non potest, quàm vehementer eas expetat Indulgentias.

Vnum ego abs te peto, ut Sacerdos aliquis è Societate per annum mensibus singulis Sacrum meâ causâ faciat ad S. Petri Janiculensis, in eo sacello, ubi Petrus Apostolus cruci

affixus dicitur. Itémque negotium des velim alicui domestico, ut ad nos de Collegijs Societatis, de Professis eorúmque officijs, déque Sociorum opera fructúque perscribat. Mandavi enim Goæ, ut Romanæ litteræ Malacam, Malacæ ut descriptæ multis vijs ad me in Japoniam transmittantur.

Te ego pater animæ meæ, summéque mihi venerande, positis humi genibus (sic enim hanc tibi epistolam scribo) tamquam si præsentem intuerer, suppliciter oro, ne Deum pro me in sanctis Sacrificijs tuis ac precibus obsecrare desistas: ut dum vita suppeditat, sanctissimæ voluntatis suæ mihi det & planè agnoscendæ & omnino exequendę facultatē. Idem ceteros Socios oratos volo. XIX. Kal. Febr. M. D. XLIX. Cocini.

## EPISTOLA X.
### Eidem.

Summarium. *Antonij Criminalis laus. Alacritas sexagenarij arduam missionem suscipientis. Simon Rodericus impensius exoptatur. Japonum scribendi ratio.*

*Gratia & charitas Christi D. N. adsit nobis semper, Amen. Mi Pater in Christi visceribus unice.*

TRinas ad te dedi litteras eodem ferè te-

xemplo, fusissimè autem scriptas M. Simoni commendavi. Antonius Criminalis in Comorino Promontorio cum sex alijs è Societate versatur. Enimverò is, mihi crede, vir sanctus est, & ad has terras excolendas natus, ejus similes, quorum istic magna est copia, plurimos huc mittas velim. Ei Comorinenses Socij parent. Idem Christianis indigenis, Ethnicis ac Saracenis est mirificè charus. A Socijs, quibus præest, quantoperè diligatur, dici vix potest. P. Cyprianus affectâ jam ætate in Socotoram insulam proficiscitur. Discessurus est exeunte Januario, ducet secum tres è Societate, Sacerdotem unum, reliquos adjutores. Socotora insula est in circuitu millia passuum fermè centum: tota ab ejusmodi incolitur Christianis, qui multis ab hinc annis Catholicis orbati Sacerdotibus Christiani nihil habent præter nomen. Ferunt se ortos ab ijs, quos S. Thomas Apostolus Christianos fecit. In spem venio fore, ut Cypriani & Sociorum operâ se ad bonam recipiant frugem. Ea insula valdè inops est à frugibus & alimentis, eadémq; satis aspera & ærumnosa. Eò tamen Cyprianus jam sexagenarius libentissimè transmittit, confidens egregiam se ibi operam DEO navare posse, & simul expiare delicta juventutis suæ. Et quamquam initio affectam

jam ætatem minimè patientem laborum excusabat; mox tamen professus est se, si opus esset, haud gravatè iturum. Nicolaus Lancellotus, etsi valetudinarius, nunc tamen meliùs habet, versatúrque Colani, quod oppidum est salubri cælo, millia passuum à Cocino circiter LXXX. ibi instituendo Societatis Collegio præest. Ac sanè multa his locis Societatis domicilia excitarentur, si M. Simon (ut ad te antea scripsi) cum magna ab Rege auctoritate missus non parvam huc adduceret Sociorum manum, ex quorum numero sex septémve Concionatores essent, complures confessionibus excipiendis, tradendis pijs meditationibus, Ethnicis ad Christi fidem adjungendis idonei, viri omnes planè moderati ac rerum periti. Scripsi etiam ad Regem de M. Simone, ut eum cum potestate mittat, non modò inchoandi Collegia, sed etiam favendi indigenis Christianis atque Ethnicis, quos ad Christum quantuluscumque aggregaret favor.

Mitto ad te Japonicarum litterarum notas. Japones quippe ab alijs in scribendi ratione differunt plurimùm. Nam à summo orsi directò ad ima descendunt. Quærenti mihi ex Paulo Iapone, cur nostro more non scriberent; Quin vos, inquit ille, potiùs more nostro? Etenim ut hominis caput summum

est,

eſt, pedes imi, ſic par eſt, homines cùm ſcribunt, à ſummo deorſum directò ferri. Deſcriptionem item Iaponiæ & morum illius gentis à Paulo, ſummæ religionis ac fidei viro, acceptam tibi mitto. Poſt duos menſes ego cum P. Coſmo Turriano, Paulo & alijs Iaponibus duobus ſolvam (ſi Deo cordi erit) in Iaponiam. Inde quid eorum litteris contineatur, ad te perſcribam. Nam ex Paulo homine idiota cognoſcere non potui, quòd numquam attigerit Iaponica litterarum monumenta, quæ (ſimiliter ut apud nos libri ſcripti Latinè) alienâ quaſi quadam linguâ loquuntur. IESUS Dominus noſter *doceat nos facere voluntatem ſuam*, & hujus vitæ laboribus perfunctos, ad beatam illam æternámque transferat ſedem. Amen. XIX. Kal. Febr. Cocini.

## EPISTOLA XI.

## M. Simoni Roderico, in Luſitaniam.

Summarium. *Certiorem facit de optato Sociorum, quos miſit, appulſu, & ipſum invitat. Rogat ut Rex Luſitanorum pupillis proſpiciendũ curet. Narrat de Cenicena Academia, quaſi Orientis magiſtra, ad Europæas Academias de rebus Japoniæ, ubi eam luſtrârit, litteras daturus. Commendat pium amici negotium. Petit vinum ad uſum Miſſarum, Socotoræis auxilium,*

 *lium,*

*lium, & plures Socios. Barzæus Collegio Goano præfectus. Varia Seminaria Societati committuntur. Rogat, ut commendatione juvet Sacerdotem, quò sorores in tuto collocare possit. Familiaritas cum Franciscanis Religiosis. Mauricæ insulæ paratum seminarium Martyriorum. Nonnulla de missione Japonica, Amboinensi & Comorinensi. Francisci Adami defuncti elogiũ. Domicilia pupillis instituendis in Moluco exstruenda. Spes propagandæ Societatis JESU.*

## *Gratia & Charitas D. N. &c.*

NVllis consequi verbis queam, Simon Frater charissime, Antonij Gomes & Sociorum adventus, quantum mihi lætitiæ attulerit. Scito igitur & ipsos magnos in pietate progressus facere, & vitæ exemplo, concionibus habendis, audiendis confessionibus, commentationibus proponendis, privatis congressibus rem Christianam mirum in modum juvare, magnâ omnium voluntate. Nimirum egregiis hîc Societatis viris opus est; maximè verò in urbe Armuziâ, & oppido Dio, quæ loca haud paulò magis quàm Goa, Concionatoribus egent pijs; ita multos Lusitanos habent à Christiana disciplina ritúq; degenerantes. Itaq; ut necessitati serviam, statui Antonium Gomen, virum concionandi, aliorúmque Societatis munerũ

facul-

facultate præstantem, mittere Armuziam. M. Gaspar in Collegio S. Fidei manebit. Næ tu magnam à Deo inieris gratiam, si cum plurimis è Societate in Indiam trajeceris, tecúmque septem octóque Concionatores, aliósq; magni usûs ac moderationis viros adduxeris. Neque enim multis opus est litteris ad Ethnicorum conversionem; quòd horum locorum gens barbara admodum sit & imperita; ut homines etiam non multarum litterarum, modò magnarum virtutum ac virium, egregiam hîc Deo operam navare queant. In singulis Indiæ oppidis, ubi Concionator esset è Societate cum alio Sacerdote, qui eum in confessionibus audiendis, reliquísque Societatis officijs obeundis adjuvaret, sedes locari posset Sociorum, ad Lusitanorum indigenarúmque liberos excolendos.

Scripsi ad P. N. Ignatium, ut tibi faciat veniendi potestatem, itémque ad Regem, ut te multis comitatum Socijs, magnáque cum auctoritate in Indiam mittat. Quod si continget, mihi crede, longè majori quàm tu putas, tuus adventus Christianæ rei erit emolumento. Alterum, de quo scripsi ad Regem, illud est, ut consulat Lusitanorum pupillis, quorum videlicet parentes, amissâ pro rege vitâ, liberos orbos inopésque reliquêre, stipendium ac victum parentibus debitũ

perſolvente nemine. Quare non eſſet alienum aliquot in India conſtituere Collegia, ubi ejuſmodi pupilli non alerentur ſolùm, ſed etiam erudirentur. Et quoniam Rex indigenarum quoque ſaluti proſpicere debet, è re Chriſtiana eſſet mandare, ut Chriſtianorum indigenarum liberi certis in locis imbuerentur Catechiſmo. Itaque ei ſcribo, ut ex Bazaini vectigalibus (ſi videatur) circiter quinque nummorum aureorum millia aſſignet ad ejuſmodi aliquam domum aperiendam. Hæc omnia Regem, Deo bene juvante, per tuum adventum facturũ eſſe confido.

Cognovi nuper de regione Iaponia, quæ ſita eſt ultra Sinas millia paſſuum ampliùs DC. Ejus incolas acri eſſe ingenio, cupidóſq; diſcendi non modò divinas res verùm etiam naturales, quæ diſciplinis continentur. Id & Luſitani illinc reverſi perhibent, & Iapones quidam ſatis declarant, qui ſuperiore anno mecum Malacâ in Indiam profecti, nuper Goæ in Collegio S. Fidei Chriſtianis myſteriis initiati ſunt. Id adeo intelligere poteris ex Iaponicarum rerum narratione, quam tibi miſimus acceptam à Paulo Iapone, cognomento S. Fidei, viro egregiâ ſanè virtute ac fide. Is ad te ſcribit de ſe ſuíſque rebus, diviníſque beneficijs in ſe collatis. Itaq; ego menſe Aprili proximo in Iaponiam cum

Coſ-

Cosmo Turriano nostræ Societatis Sacerdote contendere statui. Sic enim mihi persuadeo, Christianam religionem illis locis longè latéque propagatum iri. Adde quòd hîc ego jam cesso; quippe cùm propter Socios, qui hoc anno venerunt, mea opera Indis minimè sit necessaria; præsertim verò cùm brevì aut ipse venturus sis, aut alium tuo loco missurus cum magna caterva Sociorum. Equidem te ipsum venturum esse spero. Simul opinor fore, ut sub adventum tuum, attentatâ à me Iaponiâ, rebúsque abs te ex his litteris in India compositis (si rei bene in Iaponia gerendæ, ut spero, Deo favente dabitur occasio) Goæ nos revisamus. Procedente deinde tempore multi è Societate in Sinas, atque è Sinis in celeberrimam illam Academiam Ceniceam, quæ ultra Sinas & Cathajũ sita est, Deo bene juvante penetrabunt. Nam, ut Paulus tradit, Iapones, Sinæ, Tartarique universi è Cenico oppido petunt sacra. Mandantur Iaponum religiones litteris quibusdã reconditis, & vulgo ignotis, quales apud nos sunt Latinæ. Quamobrem Paulus homo idiota & in illiusmodi libris planè rudis, negat se habere, quid de patrijs religionibus dicat. Vbi eò venero, Deo approbante, quæ sacris ipsorum monumentis continentur, ad te scribam pluribus. Mihi quidem in animo

est, simul ac Iaponiam attigero, Regem ipsũ & præcipua gymnasia, quæ in regijs urbibus sunt, adire; rebúsque omnibus perspectis explorata non solùm in Indiam, sed ad Academias Lusitaniæ, Italiæ, maximè verò Parisiensem scribere, & simul admonere ne dum toto pectore in doctrinæ studia incumbunt, usque eò soluto animo sint ac libero, ut de Ethnicorum inscitia atque interitu nihil omnino laborent.

Petrus Consaluus, Cocini Vicarius, idémque nostræ Societatis amicissimus, mandat tibi per litteras suum quoddam negotium. Oro te atque obsecro, quidquid ejus causâ facere poteris, ne prætermittas, tum quod ad Regem pertinet, tum quod spectat ad beneficium Christianis suis popularibus expetitum. Ac pro certo habeto, eum verum germanúmque esse amicum Societatis, quippe qui Socios omnes Cocinum divertentes perbenignè hospitio recipiat. Iam Goanis Patribus, ceterísque toto Oriente sparsis, ad usum Missarũ octo decémve vini dolia istinc cures velim. Nam hîc quidem vini, in maxima necessitate, summa est non modò caritas, verùm etiam penuria. Itaque Socij Malacenses, Comorinenses, Socotorenses, Molucenses ad sacrificia vinum nullum habent, præter id quod subvehitur ex Indiâ. Nimirum

rum

rum ut Episcopo Goano & Franciscanis vinũ à Lusitania subministratur ex publico, ita Goano Collegio S. Fidei, unde ad ceteros Socios submittitur, ab Rege attribui oporteret.

In Socotoram insulam profecturus hoc anno est P. Cyprianus cum Sacerdote uno & adjutoribus duobus. In ea insula Saracenus quidam potens per vim, contra jus fásque omne dominatur. Is Christianos incolas crudeliter opprimit ac divexat: ereptósque eorum liberos Mahometicis initiat sacris: ipsos infinitis malis & ærumnis obruit. Pervelim urgeas Regem, ut pro suo egregio religionis tuendæ studio, aliquando prospiciat Christianis. Id adeò sine ullo sumptu nullóque negotio conficere poterit, si classi Indicæ Mecanum fretum petituræ imperabit, ut Saracenorum impotentiam comprimat. Nam incolæ armis omnibus demptis, duróq; oppressi servitutis jugo, Saracenum nomen perhorrescunt. Te ego per JESVM Dominũ oro, ut Socotoræorũ libertati consulas, quandoquidem tam injustâ premuntur servitute. Miserabilis planè species est ejus insulæ, Annis superioribus ex itinere cùm eò divertissem, planè illorum miseratus sum vicem: adeò crudeliter eos maritimi Arabes vexabant. Totum hoc negotium nullo, ut dixi, sumptu, solo Regis nutu confici potest. Al-

phon-

phonsus Sosa, qui Prætor Indiæ fuit, testis est locupletissimus, qui hæc omnia perspexit ipse oculis suis.

Michaëlem Vasium Goam remisi, quòd alienum judicarem sinere eum redire in Lusitaniam. Postquam Antonium Gomen Goæ vidi, satius existimavi P. Gasparem Collegio præficere, ut Antonius omni solutus curâ, in concionibus, confessionibus civium, exercitationibúsque spiritualibus totus esset. Ad quæ munia obeunda haud paulò plus habet quàm ad regendum facultatis: cùm præsertim domesticæ administrationis onus egregiè sustineat Gaspar. Præcipies, quæso te, ut quotannis huc aliquot è Societate submittantur, atque horum plerique Sacerdotes. Scribes etiam Romam, & ubicumque Societas est, ut Conimbricam mittant Sacerdotes aliquot magno usu ac spectatâ virtute, qui cùm neque doctrinâ neque dicendi facultate instructi sint ad concionandum, aut ad Collegiorum munera obeunda, istic cessant, hîc in Ethnicorum conversione magno usui futuri. Etsi enim istis locis aliquid opis afferant, his certè longè uberior eorum industriæ fructus exstabit. Si qui prætereà Conimbricæ studiorum confecerint cursum, eos huc ad nos eamdem ob causam mittas censeo. Quæso te, cave committas, ut ullo anno Socio-

ciorum ſupplementum deſideremus. Nam qui verſantur in Goano Collegio, nondum ſatis usûs, doctrinæ ac virtutis habent ad cōverſionem Ethnicorum.

Bazaini, Michaëlis Vaſæi, olim Generalis Indiæ Vicarij, rogatu terna nummorum aureorum millia Rex attribuit domicilio exſtruendo, ubi indigenarum Chriſtianorum filij doceantur Hîc quidem opinio eſt, Regem illius domûs adminiſtrationem penes Societatem noſtram eſſe voluiſſe. Nam cum Michaële octo aut novem è Societate, Franciſcani ſex venerunt è Luſitania. Verùm Michaël, Franciſcanis Bazainum devectis, pecuniam, quam Rex auctore Joanne Caſtro Prorege ad converſionem Ethnicorum aſſignaverat, eiſdem diſpertiendam ac diſpenſandam dedit. Ego igitur Bazainum profectus, ut negotia quædam tranſigerem Moluccenſium Chriſtianorum, cum Franciſcanis collocutus ſum, qui ad pauciſſimos redacti me etiam atque etiam rogarunt, ut aliquem eò deſtinarem è Societate, qui & Neophytis neceſſaria ex aſſignata pecunia impertiret, & Seminarium illud adminiſtraret. Itaque Melchiorem Conſaluum ibi reliqui cum adjutore.

Nuper Michaële Vaſæo & P. Jacobo Borbano mortuis, Collegij Goani curatio ad Coſ-

Cosmum Ioannem pervenit, qui redituum procuratione & tectorum ædificatione susceptâ, cùm distineretur negotijs regijs, post adventum Antonij Gomis eam curationem Societati penitus cessit. Nunc ex usu est, hanc cessionem regiâ auctoritate comprobari Velim diploma cures, ac deferas tecum in Indiam.

Oppidum est Regis, nomine Granganorū, xv. millia passuum à Cocino. Hîc Collegium est egregium à Vincentio Episcopi socio exædificatum, ubi Christianorum indigenarum, qui Thomæi appellantur, liberi instituuntur facilè centum. Sexaginta quippe vici Thomæorum Christianorum circa id oppidum sunt, ex quibus Collegij, quod dixi, alumni petuntur. Opus si quæris, omnino præclarum est ad aspectum, sive situm spectes, sive ædium descriptionem. Mirificam sanè operam his locis Fr. Vincentius navavit: is amicissimus mihi est, Societatique universæ. Confirmat se id agere, ut moriens Collegij administrationem Societati relinquat. Mirum in modum expetit Sacerdotem è Societate Grammaticæ peritum, qui alumnos litteris erudiat, & diebus Festis ad populum verba faciat. Mos gerendus est homini: quæso te, mitte ejusmodi Sacerdotem, qui illi omnibus in rebus obtemperet.

Cranganori duæ ſunt ædes ſacræ, una S. Thomæ à Thomæis Chriſtianis piè admodum celebrata, altera S. Jacobi Collegio adjuncta. Duobus hiſce templis F. Vincentius Indulgentias Pontificias impertiri peroptat, ſolatia horum Chriſtianorum, & incitamenta pietatis. Quocirca majorem in modum abs te peto, ut ſive per eos, qui Romæ ſunt, ſive per Pontificium Nuntium, qui eſt in Luſitania, anniverſariam omnium peccatorum Indulgentiam cures, ex Vigilia S. Jacobi, itémque S. Thomæ in octonos dies inſequentes: quam ego Indulgentiam his dumtaxat propoſitam volo, qui Confeſſionis & Euchariſtię Sacramentis rite procuratis, eas ædes Cranganori piè caſtéque adierint. Hæc duo, de Sacerdote & de Iudulgentijs, quæ Vincentij nomine abs te poſtulavi, ſi curaveris, & ſimul ad eum officioſam epiſtolam miſeris; næ tu hominem & tibi & Societati in perpetuum devinxeris. Ejuſdemmodi litteras, ut ad Epiſcopum quoque ipſum des, noſtræ Societatis cupidiſſimum, te etiam atque etiam rogo.

Oravi Regem per litteras, ut Sacerdotem quemdam (cui Stephano Ludovico Burano nomen eſt) ſibi à ſacello conſtituat. Id adeò non tam ipſius causâ feci, quàm quòd ſorores habet & orbas & inopes: quarum frater ſi quaſi ex cohorte Regia vir honoratus ha-

bea-

beatur, facilè ſorores collocet in matrimonio. His enim locis in connubijs, honeſtorum hominum, & apud Regem gratioſorum, affinitas mirè expetitur. Id ſi perfeceris, tres orbas puellas in tuto locaveris. Hujus Sacerdotis mater Conſaluo Ferdinando Concinati nupſit. Optat igitur Sacerdos ad vitrici benevolentiam ſibi ac ſororibus conciliandam ei gratificari. Itaque deprecatur, ut Rex illum ſuum vitricum in ſuorum numerum, ſine ulla mercede, adminiſtrum adſcribat honorarium. Sic enim in animum induxit ſuum, ſi vitricus quaſi è cohorte regia erit, eum paterno amore in ipſum ac ſorores futurum.

Cùm Franciſcani omnes noſtri amici ſunt, tum verò eorum Cuſtos Antonius Caſalius. Is cuſtodiâ abiturus poſt biennium, optat mirum in modum in Luſitaniam redire; quæſo te, ut litteras illi ab Rege & facultatē impetres, abſoluto cuſtodiæ tempore decedendi. Nam quintum jam annum hiſce in locis Deo ac Regi operam navat.

P. Nicolaus Lancellotus Colanum à me valetudinis causâ miſſus convaleſcit in dies, vir planè factus ad Colanenſiū voluntatem. Jam agitur de Collegio inibi inſtituendo, ubi pupilli in primis Luſitanorum, deinde Chriſtianorum Comorinenſium & Thomæorum

rum erudiantur. Nam oppidani, qui & pauci ſunt, & à re familiari malè conſtituti, Seminarium ne inchoare quidem ſuis facultatibus poſſunt. Scripſi ſuper ea re ad Regẽ, oſtendens id negotium quanto tandem uſui ſit Chriſtianæ religioni futurum. Tranſiges cum Rege, ut Indiæ Prætori, itémque Procuratori ſuo mandet, ut id domicilium ex publico ædificet ſatis laxum, ad complures orbos tum Luſitanorum tum indigenarum liberos alendos. Colani enim ſumma copia eſt, ac vilitas rerum omnium: & parvâ impensâ maxima alumnorum ſuſtineri poteſt multitudo. Si ipſe huc venies, Simon Frater chariſſime, nimirum tuus adventus magno & rei Chriſtianæ emolumento, & tibi gaudio erit; ſed ita, ſi regiâ inſtructus auctoritate venias, ad Dei cultum & Chriſtianos indigenas ſublevandos. Iterùm te moneo, ut Regis Reginæque opibus fultus huc venias, quò Præfectos & Procuratores regios contineas in officio. Tum demum enim omnium opinione meliùs de India & Chriſti cultu mereberis.

Lætos è Malaca nuntios accepi de re Chriſtiana à Franciſco Pere & Rocho Oliveria præclarè geſta. Ex eorum litteris omnia cognoſces. optimi autem ex Moluco nuntij perferuntur. Quippe in maximis ærumnis per-

perpetuísq; vitæ discriminibus Joannes Beira ejúsque Socij versantur, magno cum Christianæ religionis incremento. Rumor de Beiræ cæde dissipatus mihi quidem inanis videtur. Ipse ad me pauld antè de suis rebus ærumnis ac periculis diligentissimè scripsit. Ejus Socij post discessum navium ex Moluco tres menses hiemarunt in Amboino. Interim Joannes Beira eò ex Maurica venit ad Præfectum, rogatum, ut Lusitanorum manū Mauricis Christianis auxilio mitteret. Revertenti in Mauricam ex Moluco nescio quid illi gravius accidisse dicitur, quod ego neque ullius litteris, neq; idoneis auctoribus comperi. Illud pro certo affirmare audeo, tamquam aurum in fornace probari eos, qui Deum ac proximos diligunt. Equidem haud scio, an usquam in toto orbe Christiano ij, qui Deo student & saluti animorum tot laboribus tantísque mortis periculis exerceantur, quot quantísque in Maurica regione. Velim Deum depreceris pro ijs, qui illuc ierunt, & deinceps ituri sunt; propediem enim duos trésve Socios eódem mittere statui. Nimirum opinor, Mauricas insulas plurimos nostræ Societati martyres parituras, ut brevi non Mauri, sed Martyrij insulæ sint appellandæ. Itaque Socij, qui vitam profundere expetunt pro Christo, bono animo sint, præcipi-

cipiántque gaudium licet; siquidem paratū habent Seminarium martyriorum, ubi cupiditatem expleant suam. Navigatio in Japoniam ac Sinas (ut omnes mihi prænuntiāt) est ærumnarum ac periculorum plenissima. Ego nihil dum usu compertum habeo: cùm illuc transmisero, quod post duos & dimidiatum mensem futurum arbitror, inde te certiorem faciam de omnibus rebus. Ita ubi tu, Deo approbante, in Indiam veneris, anno opinor proximo, à me litteras Japonicas accipies. Nunnius Ribera Amboini est, in oppido sanè tuto & Christianis frequenti. ex ejus litteris intellexi sanè uberem fructum ejus laboris extare.

Socij duo, qui in Comorino Promontorio versantur, magno sunt rei Christianæ adjumento. Id adeo ex litteris, quas ad te mitto, intelligere poteris, ubi illi de omnibus rebus suis tibi perscribunt. Visum est DEO dulcissimum Fratrem nostrum Adamum Franciscum ex hac vita evocare, ut ei plurimorum maximorúmque laborum persolveret præmia. Mors anteactæ vitæ respondit, quæ quidem, quantum ab alijs accepi, & ipse perspexi, sanctitate floruit. Vir fuit planè pius, magnóque animi ardore in Ethnicis ad Christum aggregandis. Equidem magis illi me commendo, quam ipsum commendo

Deo;

Deo; persuasum enim habeo, eum jam beatitudine, ad quam natus erat, perfrui. Nunc ego Goam contendo, ut me ad Iaponicum iter in Aprilem proximum maturè comparē. E Goa in Cambaiam ad Prætorem Indiæ, qui nunc Bazaini est, proficiscar, ut is & Molucensium Christianorum rationibus consulat, & prospiciat Socijs, quos illuc sum propediē missurus. In his unus erit Concionator, qui in regio oppido commoretur, præsitq; Collegio inchoando, ubi Mauricorum Christianorum Lusitanorúmque pupilli instituantur. Inchoabitur etiam aliud domiciliū, ubi præter orbos Lusitanorum filios, Iapones, quos Deo favente missurus sum, Christianis imbuentur mysteriis. Et quoniam nostri homines in India non Episcopo solùm & clericis, verùm etiam cænobitis, Christianísque omnibus pariter & Ethnicis chari acceptiq; sunt; magnam in spem ingredior fore, ut his locis longè latèq; Societas propagetur. Quare, Simon Frater charissime, da operam, ut quamprimùm huc traiicias cum magnis Sociorum copijs, partim Concionatorum, partim etiam aliorum. Vnum cave, ne adolescentulos plerosque deducas; hîc enim majores triginta annis usque ad quadraginta desideramus, eosdémque cum ceteris virtutibus, tum verò humilitate, mansuetudine, patientia,

tia,

tiâ, & ſcilicet caſtimoniâ ornatos. Meum hoc vitium eſt, ut ad te ſcribens nullum inveniam finem. Vel hinc intelligere potes, quantum ex ea re capiam voluptatis, præſertim verò cùm ad ſcribendum me contuli tuis litteris provocatus. Itaque ſcribendi finem facio, etſi finem reperire nequeo: confido autem fore, ut aliquando nos aut in Sinis, aut in Iaponia, aut certè in cælo reviſamus; ubi, ut ſpero, ſingulari DEI beneficio ac munere in cæleſtis regni Societatem pariter vocati, Deo perenni bonorum omnium fonte perfruemur in omnem æternitatem. Amen. VI. Nonas Februarias. Cocino.

## EPISTOLA XII.

### Eidem.

Summarium. *Declarat, quo ardet, deſiderium Dei cauſâ patiendi.*

*Gratia & Charitas D. N. &c.*

EPiſtolis omnibus in Luſitaniam Emmanueli Petro jam datis, naves Malacâ venerunt, quæ certò nuntiabant, Sinarum portus Luſitanis penitus clauſos & infeſtos eſſe omnes. Ego tamen profectionem Iaponicam, de qua antea ad te ſcripſi, haud quaquam abijciam. Nam mihi nihil gratius acci-

accidere poteſt in vita, quàm in maximis meis periculis, Chriſti Domini & Chriſtianæ religionis causâ ſuſceptis, vitam tranſigere. Chriſtianum quippe eſt in cruce magis quàm in quiete lætari. Deus nos in ſuo Beatorúmque domicilio jungat. Amen. IV. Calend. Mart. Cocino.

FINIS SECVNDI LIBRI.



# S. P. FRANCISCI XAVERII EPISTOLARUM LIBER III.

## Epistola I.

### Societati, Goam.

Summarium. *In Japoniam Malacâ solvere parat Primitiæ P. Alphonsi Castri. Socij in solemni Supplicatione procedunt linteati. Japones ad fidem parati.*

*Gratia & charitas D. N. &c.*



Ocino solvimus ad VII. Kalend. Majas: dies autem XL. in itinere posuimus, secundâ semper valetudine ac tempestate usi, nullo ab Acensibus hostibus, quos pertimescebamus, periculo. Pridie Kalendas Junias Deo favente appulimus Malacam, ubi perhumaniter ac perbenignè tum à Præfecto urbis, tum à civitate excepti sumus. Ac Præfectus res omnes ad profectionem Japonicam necessarias summo nobis studio ac sedulitate curavit. Onerariâ vehemur (Iuncum vocant) Sinæ hominis Ethnici, cui cognomen est Latro. Is pignoribus datis fidem obstrinxit suam, se Sinarum finibus præteritis nos in Iaponiam esse transmissurum. Magnam spem habeo fore, ut nos inco-

incolumes Deus perducat, ut suum in Iaponia nomen audiatur aliquando ac celebretur. P. Alphonsus Castrus nobiscum venit, cui Malacensis est destinata provincia, is Malacæ, die Sanctissimæ Trinitatis festo, primum Sacrum solemni ritu ac ceremoniâ fecit, quòd ea res esset in his locis planè nova. Novo Sacerdoti Episcopi Vicarius & Franciscus Peres sacrificanti præstò fuerunt; ego ad populum verba feci: tota res civibus propter novitatem accidit gratissima. Placuit ad aliorum Sacerdotum morem retinendum, si quid à populo offerretur, accipi. Sed quicquid pecuniæ coactum est, jussi ad Sodalitium Misericordiæ deferri pauperibus dividendum. Nostri quoque propter indigenarum Sacerdotũ paucitatem, in solemni Supplicatione Sanctissimæ Eucharistiæ processêre linteati. Socios Malacenses adeo naviter in vinea Domini laborantes offendimus, ut nequaquam in eos illud conveniret, *Quid hîc statis totâ die otiosi?* Magna hîc erat opinio, Iaponios ita factos & affectos esse, ut ad Christi Fidem accessuri viderentur quàm plurimi. Eorum enim, qui apud illos versati sunt, litteris ad nos perfertur, flagitari à Iaponibus Sacerdotes, qui res illis divinas & Christianorum religionem exponant. Vos quæso Deum obsecrate, ut itineri conatibúsque nostris faveat atq;

obse-

obſecundet, quando nos divinæ benignitatis aurâ freti vela pandimus, eámque nobis in hoc negotio jam confidimus afflari: niſi fortè ob noſtra delicta, quò minùs rem tantam conficiamus, nos deſerat atque deſtituat. Nobis Deus auxilio ſemper ſit ac præſidio. Amen. XII. Kal: Iulias, ipſo Chriſti Corpori ſacro die, anni M. D. XLIX. Malacâ.

## EPISTOLA II.

### Joanni Beiræ.

Summarium. *Significat quibus comitibus, quámque opportuno tempore in Iaponiam tendat. Monet P. Alphonſum Caſtrum de rebus agendis. Rogat Beiram, ut crebrò ſibi de laborum fructu perſcribat. Promptam obedientiam exigit.*

*Gratia & Charitas D. N. &c.*

JAponem petimus Chriſtianæ religionis propagandæ allecti ſpe, quæ nobis oſtentatur maxima. Tres omnino eò proficiſcimur, Ego, Coſmus Turrianus, & Ioannes Ferdinandus, itémque Iaponij totidem Chriſtiani egregiâ probitate, qui in Goano S. Pauli Collegio baptizati, per menſem in pijs cômentationibus maximo cum fructu verſati ſunt: nunc autem revertuntur, patriæ ſuæ ad Chriſti Fidem adducendæ ſtudio incenſi.

Commodùm Iapones legationem ad Lusitaniæ Proregem miserunt rogatum Sacerdotes, à quibus Christianam doceantur religionem. Imus omnes divinæ spei ac fiduciæ pleni, haudquaquam dubitantes, quin optimè Christiana res gerenda sit, nisi fortè nostra delicta divinos conatus impediant. P. Alphonsum Castrum cum Socijs duobus isthuc ad te mitto, qui partim ad Lusitanos conciones habeant, partim Neophytos, servos ac pueros Catechismo erudiant, idque eâdem ratione quam ego servavi, cùm isthic elaborarem: nimirum ut Symboli capita ac præcepta Decalogi explanent, confitendi communicandique præscribant modum. Tu velim de tuis rationibus, de animorum fructu istic per Socios percepto, de spe Evangelij & istis locis, & in Macazaria, reliquisque insulis adiacentibus disseminandi, crebriùs ad me perscribas, ut rebus omnibus cognitis, statuam de unoquoque vestrûm. Nam si magnam atque uberem messem esse intellexero, plures istuc operas submittam, sin minùs, pro usu quem istius regionis habeo, quémque Iaponiæ habiturus sum, vos accersam aliò, ubi utiliùs à vobis opera poni posse videatur. Proinde expeditos ac paratos vos esse volo, si inclamâro ut accuratis, Deo bene juvante, qui nos in sua patria jungat & colligat. Nā

in

in hac quidem vita ita distracti dissipatique peregrinamur, ut ecquando inter nos revisuri simus, ecquidem nesciam. Vale. XII. Kal. Julias. Malacæ.

## EPISTOLA III.

## M. Simoni Roderico, in Lusitaniam.

Summarium. *Orat, ut submittat quàmplurimos spectatâ virtute & doctrinâ præstantes.*

*Gratia & Charitas D.N.&c.*

QUæso te atque obsecro per viscera JESU Christi, ut huc submittas quàmplurimos è Societate: omnes autem sive Concionatores, sive alios spectatâ virtute viros. Peccandi enim illecebræ hisce locis se offerunt plurimæ. Itaque ut litterarum scientiâ non excellant, oro te etiam atque etiam, ut excellant utique virtute: quoniam his quidẽ locis virtus magis quàm doctrina spectatur: quamquam probitas litteris ornata scilicet palmam ferat. Etenim Indiæ arces ac præsidia Lusitanorum viros doctos ferme requirunt. Nos autem Regi Lusitaniæ, patrono optimo, & Lusitanis qui in India versantur, plurimùm pro summa illorum erga nos benevolentia ac liberalitate debemus. Quibus quidem aut nullâ ratione, aut hac unâ gratiã pro tantis eorum meritis referre possumus,

ut quoniam multis magnísque negotijs sunt implicati, eorum animos atque conscientias expediamus, ut explicatam habeant & exploratam rationem salutis suæ. Christus Dominus noster pro sua benignitate ac misericordia multos, eósque bonos operarios, conducat in vineam suam, nósque, ubicumque ei visum erit, si minùs in terris, in cælo quidem certè conjungat. Amen. x. Kalend: Iulias. Malacæ.

## EPISTOLA IV.

### Societati Romam.

Summarium. *Laus trium Iaponum Neophytorum: eorum judicium de Sacramentis Confessionis & Eucharistiæ, ac commisematio erga populares suos. Crucibus nocturni lemures abacti. Fiducia Xaverij, Iaponiæ Regi Regis Regum mandata exponere decernentis. Iaponicum iter periculosum. Spiritus Societatis JESU. Ignatij monitum de victoria sui. Bonziorum meditationes Improbi ipso dæmone capitaliores.*

*Gratia & Charitas D. N. &c.*

SCripsi ad vos Ianuario mense anni superioris, quàm uberes animarum fructus ex his locis percipiantur, quantúmque vel in Lusitanorum vel in Ethnicorum oppidis propagetur Christiana religio; idémque

cete-

ceteros Socios, qui in hisce locis versantur, pro sua quemq; parte facturum arbitror. Ego ex India Iaponiam versus Aprili mense discessi, comitibus duobus è Societate, altero Sacerdote, administro altero, ac præterea Iaponibus Neophytis tribus, qui post jacta Fidei fundamenta in Collegio S. Fidei, Christianáque mysteria satis percepta, Baptismo rite expiati humanarum divinarúmque rerum meditationibus summo studio paríque fructu exercuêre sese. Nam singulari Dei benignitate adeò ad cælestis erga se largitatis cognitionem excitati, divinísque virtutibus cumulati sunt, ut meritò nos omnes tot tantorúmque bonorum, quæ Deus in illos plena, ut dicitur, congessit manu, participes esse cupiamus. Et quoniam apud nos legere & scribere didicerunt, precationes ex scripto recitant sanè diligenter. Percontanti mihi, in quo potissimùm genere meditationis reperirent sensum gustúmq; pietatis; In Christi cruciatibus, atrocissimáque nece responderunt. Itaque in hanc lectionem meditationémque præcipuè incumbunt. Quamdiu sunt in spiritualibus exercitationibus versati, tantum inde cælestis lætitiæ piarúmque hausêre lacrymarum, ut in multos deinceps menses redundaret. Symboli Apostolici capita, causas cur Dei Filius humanitate indu-

tus genus humanum ab interitu vindicârit, ceteráque Christianæ religionis mysteria, per otium eis tradidimus. Interrogati à me sæpiùs, quod tandem inter Christiana instituta potissimum ducerent, ac maximè salutare; primas semper detulerunt Confessionis & Eucharistiæ Sacramentis. Et simul illud adiecerunt, neminem, suâ quidem sententiâ, rationis compotem fore, qui cognitis Christianæ religionis mysterijs ac legibus, Christi nō amplectatur Fidem. Vnus ex his Paulus S. Fidei nominatur; hunc ego audivi, cùm ingemiscens crebróque suspirans diceret: *O vos miseros Iapones, qui pro dijs ea colitis, quæ Deus ad usus effecit humanos.* Tum ego: *Quid ita?* inquam. & ille, *Rogas?* inquit. *An non cæci sunt, qui Solem ac Lunam famulos Christianorum numerant Deos? quid enim aliud illa mūdi lumina efficiunt, nisi diem noctémque distinguunt? ut videlicet mortales tanto splendore excitati, præpotentem Deum Patrem luminum, Deique Filium JESUM Christum & agnoscant & colant.* His igitur comitibus pridie Kalendas Iunias anno post Christum natum M. D. XLIX. perveni Malacam.

Vix è navi descenderam, cùm Lusitanorū mercatorum litteras ex Iaponia accepi, ex quibus agnovi, principem quemdam Iaponiæ virum fieri velle Christianum. Itaque

lega-

legatos ab eo ad Prætorem Indiæ miſſos cum mandatis,ut aliquot noſtræ Societatis homines poſtularent Chriſtianæ legis magiſtros. In iiſdem litteris illud quoque erat ſcriptum, in quodam Japoniæ oppido mercatores Luſitanos juſſu regis in hoſpitium dæmonibus infeſtum, ac propterea deſertum, eſſe deductos. Ibi cùm ignari totius rei Luſitani laciniâ retraherentur, & converſi nihil omnino cernerent, attonitos quid tandem id eſſet requiſiſſe. Nocte autem quâdam, cùm famulus, ſpectro neſcio quo exterritus, exclamaſſet, eo clamore reliquos excitatos arripuiſſe arma, aliud quippiam eſſe exiſtimantes: quibus tumultûs cauſam requirentibus reſpondiſſe puerum, ſe nocturno ſpectro perculſum inclamaſſe. Inde famulum illum complures diſpoſuiſſe cruces in ædibus, & ſpectra illa evanuiſſe: denique incolas enuntiaſſe Luſitanis, in tectis illis diabolos habitare, & ſimul quæſiſſe, quo tandem remedio fugarentur; tum reſpondiſſe Luſitanos. Nullum remedium cruce præſentius inveniri. Itaque poſteaquam eam domumLuſitani crucibus in veſtibulo poſitis munierint, exemplum incolis ſecutis, ante domos paſsim excitatas cruces. Adhæc nuntiabatur, in Iaponia latiſsimum Evangelio patere campũ: gentem enim prudentem eſſe atque ingenio-

ſam, rationi obtemperantem, diſcendíque percupidam. Quocirca in ſpem venio (niſi noſtra peccata impediant, quò minùs noſtrâ Deus operâ uti velit) non paucos ex omni Japonia ad Chriſti Fidem acceſſuros. His ego nuntijs etſi vehementer excitatus, tamen utrùm eò me conferrem, nec ne, diu mecum multúmque cogitavi. Verùm ubi certis indiciis Japonicam profectionem è gloria & voluntate divina eſſe perſpexi, ſi hoc iter omitterem, næ ego viderer mihi longè Ethnicis Japonibus deterior. Humanæ ſalutis hoſtis profectionem noſtram ſumma ope impedire conatus eſt. Cur tantoperè à nobis ſibi metuat neſcio, ſed aliquid profectò eſt. Proficiſcentes in Japoniam ſupellectilem ad Sacrum faciendum neceſſariam nobiſcum deferemus. Proximo anno (niſi Deo ſecùs videbitur) quæcumque illic geſta erunt, faciam ut ſciatis.

Simul atque Japoniam attigerimus, certum eſt nobis Regem ipſum Japoniæ rectà adire, eíque fidenter mandata, quæ à JESU Chriſto Regum Rege habemus, exponere. Imus ſpei divinæque fiduciæ pleni, confidimúſque, nos Deo duce de ejus hoſtibus triumphaturos. Neque verò certamen cum Japoniæ litteratis reformidamus. Quid enim boni noſſe poteſt, qui Deum Chriſtúm-

que

que ejus Filium ignorat? qui autem nihil ſpectat aliud, niſi divinam gratiam, Evangelij prædicationem, animorum ſalutem, quid tandem recuſet aut pertimeſcat? ſi enim verſabimur non modò in terris barbarorum, verùm etiam in dæmonum regno; tamen nulla neque barbaria neque dæmonum rabies quicquam nocere nobis poterit, niſi permiſſu conceſſúque præpotentis Dei. Vnum omnino timemus, ne Deum ipſum offendamus, cujus offenſionem ſi vitaverimus, exploratam de noſtris hoſtibus victoriam nobis, illo propitio, pollicemur. Et quoniam Deus ad ſuum obſequium & peccatorum fugam ſatis auxilij tribuit omnibus, ſperamus fore, ut pro ſua benignitate nobis non deneget. Quippe in eo res vertitur, utrùm rectè utamur, an abutamur divinis beneficijs. Itaque magna nos ſpes tenet, Eccleſiæ matris noſtræ, ejuſdémque Chriſti ſponſæ, ac ſpeciatim noſtræ Societatis, ejúſque ſtudioſorum preces, hoc nobis impetraturas, ut Dei beneficijs, uti par eſt, ad divinam gloriam utamur. Illud nos magnopere delectat, quòd Deus noſtri itineris conſilium ac propoſitũ intuetur, vidétque nihil nos ſpectare aliud, niſi ut animæ ad Dei ſimilitudinem effectæ Conditorem agnoſcant ſuum: eique divinũ honorem cultúmque tribuant; & ſimul, ut

Christianæ religionis fines longè latéq; proferantur. Itaque non dubitamus, quin itineris conatúſque noſtri eventus felix lætúſq; ſit futurus. Duo ſunt, quæ maximam nobis ſpem afferunt ſatanæ impedimenta perrumpendi: præclari conſilij conſcientia, & providentia divina, cujus nutu non homines modò reguntur, ſed etiam dæmones. Satanas quippe, niſi factâ à Deo poteſtate, Iobo quicquam detrimenti inferre non potuit. Video autem nobis non ſolùm labores plurimos ac maximos, ſed etiam perſpicua mortis pericula in ipſo itinere ſubeunda.

Japonicum iter ſanè periculoſum eſt, tum ob piratarum ac ſyrtium multitudinem, tum verò ob magnitudinem tempeſtatum, quæ tam atroces exiſtunt, ut præclarè agatur cũ iis, qui Iaponiam petunt, ſi tertia quæque dumtaxat navis intereat. Ac mihi quidem ſæpè venit in mentem vereri, ne noſtræ Societatis homines doctrinâ exculti, ſi in hæc loca venerint, plenum temeritatis negotium putent, quòd videatur tentari Deus tam apertis periculis adeundis, quibus tot depereant naves. Verùm ut me collegi, vereri deſino, quippe cùm Societatis noſtræ litteris litteratíſque inhabitantem Domini ſpiritum moderaturum eſſe confidam. Alioquin litteræ haud paulò plus detrimenti afferrent, quàm

quàm commodi. Equidem illud ſemper ferè propoſitum habeo, quod ex optimo parente noſtro Ignatio ſæpiùs audivi, noſtræ Societatis hominibus omni ope atque operâ enitendum eſſe, ut ſe ipſi vincant, timoréſq; depellant omnes, qui impedimento eſſe ſolent, quò minùs ſpem omnem reponant in uno Deo. Etſi enim ſpes & fiducia divina ad Dei arbitrium tribuitur hominibus, plerumque tamen impertitur ijs, qui ſe ipſi omni ratione ſuperare conantur. Etenim ut multum intereſt inter eos, qui rebus neceſſarijs inſtructi Deo confidunt, & eos, qui confiſi eodem, Chriſti imitandi ſtudio, ſpoliant ſe rebus etiam neceſſarijs; ita qui ſpem habent in Deo extra mortis periculũ, multùm differunt ab ijs, qui Dei præſidio freti, divinæ gloriæ causâ ſponte capitis diſcrimen ſubeunt, quod utique vitare poſſint, ſi velint. Ego verò ſic cenſeo, qui in perpetuis vitæ periculis unius Dei causâ verſentur, his brevi vitam acerbam fore ſic, ut mori expetant, ut cum Deo vivant, & regnent ſemper in cælo. Hæc enim quæ dicitur vita, nihil eſt, niſi perpetua quædam mors, & exilium à cæleſti felicitate, ad quam procreati natíque ſumus.

Japones comites mei ſic mihi denuntiant fore, ut Bonzij (hi ſunt in Iaponia ſacrorum antiſtites) offendantur, ſi nos viderint carne

aut

aut piſcibus veſci. Proinde nobis fixum ac decretum eſt, citiùs perpetuam inediam perpeti, quàm cujuſquam incurrere offenſionē. Iidem magnam in Iaponia Bonziorum multitudinem eſſe narrant, eorúmque maximam apud omnes ordines auctoritatem. Quod ego idcirco adieci, ut intelligatis, quantopere veſtrâ Societatiſque univerſæ deprecatione egeamus, quibus tales adverſarij ſint parati. Malacâ ſolvemus ipſo S. Ioannis Baptiſtæ natali die. Sinas ita prætervehemur ut nuſquam portum terrámve capiamus. Abſunt Sinæ à Iaponia millia paſſuum ad DC. Confirmat gubernator navis, nos Auguſto ferè medio in Iaponiam perventuros. Illinc de terræ conditionibus, de gentis ingenijs, moribus, inſtitutis, de erroribus in quibus verſantur, de litterarum monumentis quibus utuntur, de diſciplinis atque exercitationibus, quæ in Gymnaſijs vigent, ad vos quàm accuratiſſimè ſcribam. Interim illud me valde delectat, quod ex Paulo S. Fidei noſtro comite accepi; in ejus patria cænobium eſſe ſanè frequens Bonziorum, qui certis meditationibus exerceantur. Quippe cœnobij Præſes (is doctrinâ ceteris præſtat) domeſticis omnibus unum in locum convocatis, ad eos quaſi concionem habet; tum certam cuique per horam commentandi materiam proponit.

nit. Exempli causâ. Cùm extremo jam ſpiritu mors vocem intercludit, ſi tum animæ ex corpore diſcedenti loquendi facultas detur, quibus tandem verbis in illo digreſſu corpus alloquatur ſuum. Itémque ſi quis exiſtat ab inferis revocatus in vita, quidnam ceteris videatur eſſe dicturus. Exacto deinde meditandi ſpatio, rationem meditationis repoſcit à ſingulis; quem boni quippiã proferre videt, collaudat, quem ſecùs, objurgat. Eoſdem Bonzios ait quintodecimo quoque die ſermonem ad populum habere, frequenti ſanè ac ſecundâ concione. Námque inter dicendum atrociſſimos inferorum cruciatus in tabula depictos oſtentare: horrendáque illâ ſpecie fanum cùm populi univerſi, tum verò mulierum plangore ac lamentatione compleri. Hæc, ut dixi, Paulus mihi narravit; qui rogatus, ecquam ex concionibus illis ſententiam memoriâ teneret, hanc unam reſpondit, improbum hominem eſſe diabolo ipſo capitaliorem: quod ille complura ſcelera, ut furtum, perjurium, & alia ejuſdem modi per conſceleratos viros ac feminas committat, quæ per ſe ipſe non poſſet. Idem mihi confirmavit, gentem univerſam eſſe ſciendi avidiſſimam. Vbi explorati aliquid habebo, ad vos perſcribam uberiùs. Deus nos in cæleſti patria jungat; nam in hujus vitæ e-

xilio an umquam nos revisuri simus, ignoro. Verumtamen ea vis est obedientiæ, ut facilè ea quoque efficiat, quæ perdifficilia videantur. x. Kalendas Iulias, M. D. XLIX. Malacâ.

## EPISTOLA V.

### Societati Goam.

Summarium. *Multa de Iaponia, quam lustrat. Describit navigationem suam, pericula, dæmonis à nautis consulti responsa varia. Præbet remedia adversùs dæmonis terrores. Narrat de Iaponum moribus, ac sacris. Inculcat incumbendum in studium cognitionis sui. Detegit dæmonis præstigias. Inter alia saluberrima monita docet ardorem, qui ad venandas animas impellit, victoriâ sui in parvis rebus studiosè explorandum. Redit ad res Iaponiæ. Pueris se comparat. Agit de humanorum præsidiorum inopia, quam experitur. Attende quisquis blandâ commodorum & patriæ dulcedine retineris. Subijcit aliqua de frugalitate, de Bonziorum secta, de martyrij desiderio, quo ardet ipse. Divorum patrocinium, emendandæ vitæ suæ studium: nonnulla de urbibus & Academijs Iaponiæ. Mireris insatiabilis viri aviditatem, Christianorum ex Europa auxilium implorare, & Sinas aperire meditantis. Ardentia desideria Deo animi submissione probanda. Francisci*

*cisci de Sociorum virtute opinio eximiæ charitatis index.*

*Gratia & Charitas D. N. &c.*

DE nostro Malacensi itinere post nostrũ ex India discessum, déque rebus Malacæ gestis, quamdiu ibi substitimus, pluribus ad vos scripsi Malacâ: nunc reliqua accipite. In Iaponiam, divino Numine obsecundante, appulimus mense Augusto, cùm Malacâ solvissemus ipso natali S. Ioannis Baptistæ die. Navigio vecti sumus Ethnici mercatoris Sinæ, qui Malacensi Præfecto nos in Iaponiam transmissurum promiserat. Ac Dei beneficio secundis sanè ventis usi sumus. Verùm (ut in barbaris perfidia dominatur) navarchus, mutato consilio, omittere Iapónicæ navigationis cursum cœpit, ac temere in occurrentibus insulis terendi temporis gratiâ commorari. Duo erant, quæ nos præter cætera molestissimè ferebamus. primum, quòd secundissimo vento divinitus oblato abuteremur; qui si defecisset, nequaquam possemus Iaponicum cursum tenere, sed in Sinarum finibus hiemare, & idoneam rursus tempestatem expectare necessariò cogeremur. Deinde quòd Navicularius & nautæ idolo, quod secum navi vehebant, passim nobis invitis, & frustrà impedire conantibus, execranda fa-

cerent

cerent ſacra; ſortibúſque dæmonem identidẽ conſulerent, utrùm ex uſu eſſet in Japoniam pergere nécne: & ſimul exquirerent, an ſecundâ navigatione curſum tenere poſſemus, ac ſortes (ut ipſi ajebant) modò lætæ modò triſtes edebantur. Millia paſſuum ccc. provecti, ad inſulam quamdam applicuimus navim; ibíque materiam atque armamenta comparavimus adverſus atrociſsimas Sinici maris tempeſtates. Inde illi ſacrificiis multis ſuperſtitiosè factis, eductíſque denuò ſortibus, ſciſcitari ex dæmone, utrùm ventis ſecundis uſuri eſſemus Fortè ſors exijt, quæ ventum nobis polliceretur ſecundiſsimum. Itaque nullâ interpoſitâ morâ, ſublatis anchoris gratulabundi vela fecimus. Illi idolo ſuo freti, quod in puppi cereis & odoribus ex Aquilano ligno incenſis ſummè venerabantur; nos Deo cæli, terrarum maríſque moderatori, ac JESV Chriſto ejus Filio confiſi, cujus religionis propagandæ causâ Iaponiam petebamus. In curſu cùm eſſemus, viſum eſt illis rurſus ductis ſortibus exquirere ex dæmone, num ea navis ex Iaponia Malacam incolumis eſſet reditura: edita ſors eſt, in Iaponiam quidem eam perventuram, ſed nequaquam reverſuram eſſe Malacam. Tum verò illi hærere: demum omiſſo in præſentia curſu Japonico, apud Sinas hibernare, & Iaponi-

ponicam profectionem in proximum annum differre ſtatuunt. Quid nobis tum animi ac ſensûs in ea navigatione cenſetis fuiſſe, cùm de Iaponica profectione conſuleretur dęmon à ſuis, & navis gubernator ad ejus nutum atque arbitrium rem totam adminiſtraret? Ergo cum lentè proveheremur ad Cocincinam Sinarum portum duo uno die ſanè graves nobis caſus inciderunt. Nam die S. Mariæ Magdalenæ ſacro ſub veſperam, intumeſcente fluctibus, ventíſque agitato vehementiùs mari, cùm navis jactis anchoris fluitaret in ſalo, Emmanuel Sina, unus è noſtris comitibus, navis jactatione prolapſus in apertam ſentinam præcipitavit. Omnes illum mortuum credidimus, quòd & altè ceciderat, & ſentina aquæ plena erat: verùm Dei beneficio mortem evaſit. A capite obrutus umbilico tenus aliquantiſper hæſerat in ſentina: itaque ægrè ac magno labore hominem extraximus graviter in capite vulneratum. Diu exanimis jacuit; ſed Dei benignitate demum revocatus eſt ad ſalutem. Sub primam hujus curationem, ecce tibi pari navis jactatione navarchi filia excutitur in mare; cúmq; propter vim tempeſtatis fruſtrâ ei opitulari conati eſſemus, in parentis ipſius atque omnium oculis propter navim obruitur fluctibus. Ergo tanti ejulatus ac gemitus diem illum

illum noctémque insequentem tenuerunt, ut species esset admodum flebilis ac miseranda, vel ob mœrorem barbarorũ, vel ob nostrum omnium periculum. Inde Barbari ad idolum sacrificijs ac ceremonijs placandum versi, diem noctémque totam, nullâ quietis parte captâ, mactandis avibus, apponendísque idolo epulis consumpserunt. Tum navarcho, cur filia sua interiisset, sortibus percontanti sors editur, si Emmanuel noster in sentina periisset, ejus filiam nequaquam fuisse perituram. Videtis profectò quanto in periculo versaremur, quorum vita ex diaboli sortibus penderet, ejúsque satellitum voluntate. Quid tandem nobis futurum fuerit, si Deus acerrimo hosti permisisset, ut nos ad suam libidinem acciperet. Tantas ego ac tam apertas injurias Christo Domino execrandis illis sacris fieri cùm viderem, neque eas ullo modo possem prohibere, sæpiùs à Deo precatus sum, ut priùs quàm tempestate illâ interiremus, illos homines ad suam imaginem procreatos tantis támque impijs erroribus liberaret; aut si in ijsdem versari erroribus sineret, certè communi hosti illarum superstitionum auctori graviores constitueret cruciatus, quoties navarchum ad sortes ducendas, atque ad se pro Deo colendum impelleret.

Eo ipſo, quo nobis hæc incommoda acciderunt, die, ac nocte inſequenti, multa Dei beneficio ſentire mihi atque experiri contigit de maximis terroribus, quos diabolus facultatem nactus, Dei permiſſu, timidis expoſitiſque hominibus incutit. Itémque de præſidijs, quibus tali in re ac tempore contra hoſtis impetus ſit utendum. Quæ quidem etſi non inutilia ſunt cognitu, tamen brevitatis causâ prætereo. Summa illa eſt, certiſſimúmque præſidium, ut contra hoſtem magno præſentíque animo ſis, tibi penitus diffidens, & fretus Deo; ut videlicet in illo ſpes omnes ac vires tuas locatas habeas; ac nullo modò committas, ut tali ac tanto defenſore ac patrono timere, aut de victoria dubitare videaris Ac mihi perſæpe veniebat in mentem, ſi Deus meo rogatu dæmonis ſupplicia ac pœnas auxiſſet, facilè illum poſſe in me odium acrabiem expromere: ſæpiùs enim mihi minitans denuntiabat, veniſſe tempus ulciſcendi doloris ſui. Verùm cùm nihil ille nocere cuiquam poſſit, niſi quoad Deus ipſe permittat, magis eo tempore DEI diffidentia timenda eſt, quàm impetus inimici. Etenim hoſti permittit Deus, ut eos ſolicitet atque divexet, qui timiditate adducti, nequaquam ſuo Conditore confidunt, neque vires ab eo ſumunt ullas, neque ſuam in eo ſpem

ſpem reponunt. Hæc peſtis (timiditatem dico) facit, ut complures eorum, qui Deo inſervire cœperunt, mœſtam ac ſolicitam vitã degant: quippe cùm ſuave Chriſti jugum & crucem ferentes, nequaquam fortiter conſtantérque progrediantur. Atque hoc tantum, tam exitiale ac perniciofum malum affert timiditas, ut cùm tuâ niti imbecillitate cœperis, ubi majoribus viribus opus eſſet, præſidiiſque planè divinis, cadas animo magnis in rebus, quò minùs bene utaris cæleſti ope, quæ te ad bene ſperandum vocat. Audaces verò, qui fiduciâ ſui inducti plus æquo ſuis viribus fidunt, & minora certamina, etſi minimè in his ſe ad victoriam exercuerint, contemnunt; in majoribus periculis atque ærumnis imbecilliores etiam ſunt, quàm timidi. Nam cùm minùs ex ſententia ſucceſſerint quæ ſuſceperunt; parvis in rebus pariter, ac magnis animos contrahunt, atque demittunt. Proinde ita repugnanter ac timidè ejuſmodi certamina ſubeunt; ut magnum diſcrimen adeant ſalutis, aut certè tranquillitatis. Etenim cùm ſuam ipſi infirmitatem non agnoſcant, atque idcircò Chriſti crucem nimis gravem exiſtiment ad perferendum; profectò ſolicitam atque acerbam vitam ducant neceſſe eſt. Quid tandem nobis, Fratres, in extremo ſpiritu futurum putamus, niſi

nisi ad benè sperandum, atque ad Dei fiduciã nos exercuerimus in vita? Siquidem tum majoribus undiq; nos cinctos periculis, tentationibus, ærumnis, vel animi vel corporis visuri sumus, quàm umquam antea. Quocirca par est eos, qui divini obsequij studio tenentur, paruis in rebus elaborare, séque quàm maximè demittere atque exinanire, ut sibi vel minimùm fidant, Deo vel plurimùm: ut scilicet in magnis, tum vitæ tum mortis periculis, atque incommodis, in divina bonitate atq; misericordia spem habere consuescant. Id adeò consequentur, si, quamvis paruis in rebus, à quibus abhorrent, sui victores extiterint: summóque Christianæ humilitatis studio sibimet penitus diffidentes, ad maximam Dei fiduciam animos erigant suos. Neque enim imbecillus est, qui scienter nititur ope divinâ. Atque ut multa communis hostis impedimenta perseverantiæ ac perfectioni virtutis obijciat, majus tamen discrimen adeas, si in magnis ærumnis ac discriminibus Dei auxilio diffidas, quàm si pericula subeas, quæ capitalis hostis opponit. Vtinam viri pij objectos terrores ac metus, quibus eos dæmon à divino obsequio deterrere studet, converterent in Dei Conditoris sui metum! si fortè destiterint ab incœpto, sibique planè persuaderent, longè plus mali

futu-

futurum, si divini Numinis voluntatem neglexerint, quàm si dæmonis impotentiam contempserint. Id si facerent, Deus bone, quàm jucundè viverent, quantum in virtute procederent, cùm ipsi usu docti planè sentirent, nihil ipsos per se posse; contráque omnia posse adjutore Deo; Adversarius autē noster quàm fractus ac perturbatus hæreret, cùm victum se cerneret ab ijs, quos non semel antè vicisset?

Sed ut jam ad iter nostrum revertamur: cùm maris tempestas remisisset, sublatis anchoris vela fecimus, & lacrymabundi intermissum iter perreximus. Paucis diebus Sinarum portum (Cantoniū ipsi appellant) cùm tenuissemus, nautæ, atque ipse navarchus ibi hiemandum esse censuerunt. Nos illis adversari partim rogando, partim minitando, de eorum perfidia cum Præfecto Malacæ, ac Lusitanis expostulaturos. Itaque Deus pro sua bonitate eis mentem dedit, ut in Cantonis insulis non hærerent, sed sublatis anchoris Cinceum peterent. Quocirca secundo vento, qui nos Dei benignitate perpetuò prosequebatur, provecti, paucis diebus Cinceum, alterum Sinarum portum, accessimus. Iamque portum subituri erant eo consilio, ut ibidem hibernarent, quoniam jam cursus Iaponici tempestas pene exacta erat; cùm subi-

ſubitò navicula ad nos advolat, portum illum prædonibus obſeſſum eſſe nuntians, actum fore de nobis, ſi propiùs accederemus. Hoc nuntio commotus nauarchus, & ſimul quòd cerneret Cinceorum prædonum myoparones non ampliùs quatuor millia paſſuum à nobis abeſſe, ut præſens periculum vitaret, portum illum vitare conſtituit. Cúmque ventus Cantonium portum repetenti adverſus, Japoniam petenti ſecundus eſſet, invito Navarcho, nautis, ipsóque diabolo, Japonium curſum tenuimus. Ita ad has regiones, tantoperè à nobis exoptatas, Deo aſpirante pervenimus, ipſo die Beatæ Mariæ in cœlum aſſumptæ ſacro anno M. D. XLIX. Et quoniam alium portum capere non licuit, Cangoximam, quæ Pauli à S. Fidei patria eſt, applicuimus; ibi tum à Pauli cognatis atque affinibus, tum etiam à ceteris oppidanis perbenignè accepti ſumus.

De Japoniâ (quod uſu aſſequi potuimus) ea ad vos perſcribemus, quæ ipſi cognovimus. Primùm gens ea, quâ cum verſati ſumus, nationes omnes nuper inventas probitate præſtat; ut barbarorum nationem, quæ Japones naturæ bonitate vincat, nullam eſſe omnino putem. Facili eſt ingenio, & minimè fraudulento, honoris ac dignitatis mirum in modum avida: quippe honorem

rebus omnibus anteponit. Eorum quidem plerique ſunt pauperes; ſed paupertas nemini dedecori eſt. Vnum autem eſt apud eos, quod haud ſcio an uſquam apud Chriſtianos factitetur. Nobilibus quamvis egentibus non minor habetur à ceteris honor, quàm ſi eſſent opulenti: neque nobilis quiſquam, quamvis pauper & egens, ullâ conditione adducitur, ut cum plebejo vel ditiſſimo jungat connubium. Quod eò faciunt, quia deſcendendo ad plebejorum affinitatem, exiſtiment ſe multum dignitatis atque exiſtimationis deperdere; adeò præ dignitate divitias contemnunt. Iidem ſunt inter ſe perofficioſi: armis mirificè delectantur, in iiſque plurimum præſidii ponunt. Omnes ſummi æquè infimique ſuo quisque gladio ac pugione ſuccincti prodeunt, etiam pueri annorum quaterdenûm. Nullum neque factum neque dictum contumelioſum ferre ſolent. Atque ut plebeji magnum honorem habent nobilibus; ita nobiles ipſi Regibus ac Dynaſtis inſervire, ac dicto audientes eſſe, ſibi præclarum putant. Idque mihi facere videntur honoris ſtudio magis, quàm dominorum metu; ne ſi contrà faciant, dignitatis aliquid amittant ſuæ. Pauci ſunt ac frugales in cibo, in potu non item. Vinum potant ex oryzâ expreſſum, nam his
locis

locis vinum præterea nullum est. Ab alea ludóque tamquam à rebus turpissimis abhorrent, quòd lusores appetentes sint alieni, & ad furandi studium à studio lucrandi vocentur. Si quando jurant (quod tamen perrarò faciunt) per Solem jurant. Eorum plerique litteras nôrunt, quod magno adjumento est ad solemnium precationum formulas, & religionis nostræ capita facilè comprehendenda. Singulas habent uxores. Pauci inter eos fures existunt; idque propter pœnarum, quibus furta vindicantur, atrocitatem: fures quippe omnes morte mulctantur; itaque nullum furtorum genus non mirificè oderunt. Sunt ad omnem honestatem mirum in modum propensi, cupidissimíque discendi. Sermones de Deo rebúsque divinis audiunt avidissimè; præsertim cùm satis ea quæ dicuntur intelligunt. Ex omnibus, quas vidi, gentibus nullam unquam, neque Christianorum, neque barbarorum nationem, tam à furto alienam vidisse me memini. Animantium specie deos nullos venerantur. Plerique priscos quosdam homines colunt, qui (quantum ego cognoscere potui) veterum Philosophorum more vivebant. plurimi Solem, nonnulli Lunam colunt. Res naturæ ac rationi congruentes libenter audiunt. Et quanquam

ipsi à flagitiis ac sceleribus non vacent; tamen si id quod peccant, contra rationem esse ostendas, facilè assentiantur, & imperio pareant rationis. Minùs impuros, magísque naturæ obtemperantes profanos homines reperio, quàm sacerdotes, quos Bonzios vocant. Hi nefario libidinis generi usque eò dediti sunt, ut etiam palàm id profiteantur. Jámque adeò communis omnium virorum, pariter ac mulierum hæc pestis est, ut tam tetri flagitii odium atque horrorem ipsa jam sustulerit consuetudo. In hoc nos nefarium scelus sæpe invehimur: cúmque ostendimus quàm scelerati sint, Deóque invisi, qui tantam impuritatem suscipiant, secundis quidem ceterorum auribus atque animis utimur; sed Bonzii ipsi à nobis admoniti, ut à tam fœda libidine sibi temperent, risu ac facetiis objecta elevare conantur: & quamvis graviter objurgentur, quasi callo ad turpitudinem obducto, etiam ad pudorem obduruerunt.

Bonziorum secta quædam est, cultu corporis haud sanè absimilis cœnobitis nostratibus, vestitu cinerei coloris: barbâ & capite semper raso, ut tertio aut quarto quoque die radi videantur. Horum est disciplina ac vitæ ratio laxior. Mulierum ejusdem sectæ cœtus sunt, quibuscum illi promiscuè

vivunt

vivunt. Itaque apud populum, qui tantam eorum cum mulieribus consuetudinem non probet, vulgò malè audiunt. Fama est eas, ubi se gravidas sentiant, partum medicamentis abigere. Ac mihi quidem (quantum ex hoc illorum cœnobio judicare possum) non injuriâ videtur multitudo malam de eis opinionem habere. Porrò hi Bonzii odio quodam diffident ab iis, qui nostratium ferè clericorum ornatum usurpant. Duo sunt, quæ hic obstupescam: Vnum est, quàm nefaria flagitia pro nihilo habeantur; quod quidem majorum vitio accidit, qui hâc ipsi peste corrupti, tam fœdæ libidinis exemplum posteris reliquerunt suis. Et sanè consuetudo vitiorum ejusmodi diuturna corrumpit depravátque naturam; sic assidua incuria ac virtutis remissio perfectam vitam sensim labefactat. Alterum est; quòd cùm Bonzii flagitiosiùs vivant, quàm ceteri, idque constet inter omnes; tamen tanto apud eos in honore sint. Multi præterea sunt Bonziorum errores: sed ne multis vos teneam, ut quisque maximè inter eos sapit, ita errat turpissimè. Sæpè congressus sum cum quibusdam eorum, qui sapientiâ ceteris præstant, ac præsertim cum eo, quem in his locis, cùm propter doctrinæ famam & amplitudinem sacerdotii, tùm verò propter affe-

ctam ætatem (jam enim est octogenarius) omnes observant atque suspiciunt. Is apud eos instar Episcopi est, & Ninxit (quod Japoniorum linguâ significat Cor veritatis) appellatur. Felix planè, si hoc nomen in eum quadraret. Hunc ego in sermonibus, quos cum illo plurimos habui, nutantem atque incertum offendi, utrùm animus noster immortalis esset, an simul cum corpore interiret. neque enim sibi constabat; sed tum ajebat, tum negabat. Malè metuo, ne hujus ceteri similes sint litterati. Incredibile est, quàm is me unicè diligat. Vulgóque omnes, tum Bonzii tum alii, nostrâ consuetudine delectantur plurimùm. Illud autem maximè mirantur, nos inde usque è Lusitania in Japoniam (quod iter est leucarum ampliùs sex millium) contendisse hanc unam ob causam, ut cum eis de rebus ageremus divinis; &, CHRISTI Fide propositâ, æternæ salutis iter errantibus monstraremus. Atque hanc nobis mentem divinitus profectò datam esse prædicant.

Vnum est, quod scire vos vehementer volo, ut ingentes Deo gratias agatis; hanc insulam ad excipiendum Evangelium satis idoneam ac paratam esse. Ac si nos linguam calleremus Japonicam, non dubito, quin plurimi fierent Christiani. Faxit Deus, ut

eam

eam brevì addiſcamus; ſiquidem jamdudum guſtare cœpimus, ut jam decem præcepta Japonicè explicemus. Hæc ego ad vos ob eam maximè cauſam uberiùs ſcribo, ut Deo Domino gratulemini, novas aperiri regiones, ubi veſtra excurrere poſſit induſtria: útque ſolidis virtutibus ac ſtudio quàm plurima pro Christo perferendi vos interim inſtruatis. Atque illud perpetuò veſtris hærere mentibus velim, propenſam plenámque humilitatis demiſſionisque voluntatem, quâ te capútque tuum divinæ gloriæ devoveas, gratiorem Deo acceptiorémque hoſtiam eſſe, quàm vel plurima & maxima obſequia ſine ejusmodi voluntate. Vos igitur parati eſtote; fortaſſis enim intra biennium plurimos veſtrûm in Japoniam per litteras evocabo. Proinde meditamini interea ac diligenter colite humilitatem: omnibus in rebus, à quibus depravata natura abhorret, vos ipſi vincite: ſummóque ſtudio elaborate, ut divinâ ope vos ipſos penitus cognoſcatis. Nam ſui cognitio nutrix eſt divinæ fiduciæ, ac parens Chriſtianæ humilitatis. Quippe ex noſtri diffidentia Dei fiducia naſcitur, quæ vera eſt atque germana fiducia. Hæc demum vobis ratio intimam illam animi ſubmiſſionem pariet, quæ quidem cùm ubique, tum verò in hiſce locis longè ma-

gis, quàm putatis, necessaria est. Illud autem vos moneo, ne bona hominum de vobis opinio vos nimiùm oblectet, nisi fortè, ut hoc magis vestri vos pudeat. siquidem inde oritur sui ipsius negligentia, quæ nonnullis interiorem illam animi submissionem quasi per præstigias intervertit, arrogantiámque substituit. Itaque multi, cùm diu quantum damni fecerint eos fallat, paulatim etiam studium pietatis, animíque tranquillitatem amittunt; ac soliciti semper atque anxii, nulla neque intus solatia inveniunt, nec foris. Quare vos oro quæsóque, ut omni vestrarum virium, humanæque sapientiæ & existimationis fiduciâ abjectâ, vestras omnes spes cogitationésque defixas habeatis in uno Deo. Ita demum vos adversùs omnia, quæ accidere possunt vel animi vel corporis incommoda, satis vos armatos paratosque existimabo. Deus quippe humiles erigit ac roborat; eos præsertim, qui in rerum etiam humilium atque abjectarum tractatione, tamquam in speculo, infirmitatem intuentur suam, séque ipsos in eisdem egregiè vincunt. Hi scilicet vel in maximis laboribus atque ærumnis virtutem constantiámque præstabunt: neque satanas cum suis administris, neque maris tempestates, neque immanes gentes ac barbaræ, neque

res ulla eos *poterit separare à charitate* CHRISTI. Exploratum enim habent, pro sua Dei fiducia ac spe, nihil omnino sibi, nisi ejusdem permissu, noceri posse. Cùm enim hoc persuasum eis sit, res omnes Dei nutu consilióque regi atque gubernari, divino præsidio tecti nihil habent quod metuant, nisi hoc unum, ne ipsum offendant Deum. Quòd si quando à diabolo, ab hominibus, à rebus aliis, cœlesti Numinis permissu, exagitentur atque vexentur, tum sibi persuadent, aut virtutem suam exerceri, aut vitia & delicta expiari; ita vel meriti accessionem fieri, vel humilitatis. Quare debitas Deo pro tantis beneficiis gratias agunt; ac ne iis, qui materiam sibi dant virtutis ac præmiorum, ingrati sint, summis precibus pacem eisdem à Deo ac veniam orant. Tales ego vos, Deo bene juvante, confido futuros.

Equidem hominem novi, qui, cùm etiam in ipsis periculis omnem in Deo spem ac fiduciam habere consuêsset, cælestibus donis, quæ longum esset percensere, mirè cumulatus est. Et quoniam discrimina adita adeundis leviora censenda sunt, venturos in Japoniam per JESUM oro atque obtestor, ut ad summa se comparent, suásque cupiditates, quæ tantum bonum impediunt, frangant ac doment. Attendite vobis, Fratres charissi-

chariſſimi. Multi enim nunc apud inferos cruciantur, qui cùm ſuis ſermonibus aditum ad cœleſtem beatitudinem multis aperuerint, ipſi, quòd falsâ fallacíque ſui opinione inflati, germanâ animi ſubmiſſione vacarent ad ſempiternas illas pœnas ſunt devoluti. Nemo autem omnino eſt apud inferos eorum, qui, cùm hujus vitæ ærumnis affli-ctarentur, id egerunt, ut interiore illâ humilitate animum munirent ſuum. Memen-tote ſemper illam cœleſtis Magiſtri vocem: *Quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Cavete, ne quam veſtri fiduciam habeatis, & quòd ſitis in Societate antiquiores, idcirco recentioribus vos anteponatis. Ego verò lætitiam caperem multò majorem, ſi (quod exopto) intelligerem, antiquiſſimum quemque Socium ſæpiſſimè ſecum animo reputare, quàm parvos progreſſus fecerit, tot annis in Societate conſumptis; quantum temporis contriverit, non modò ceſſando, ſed etiam regrediendo: ſiquidem *in via perfectionis non progredi, regredi eſt.* Nam qui hujuſmodi cogitationes ſuſcipiunt, hos profectò ſuæ inertiæ ac nequitiæ pudet ac piget, ſic ut interioris magis, quàm externæ ſubmiſſionis ſtimulis excitari, ad detrimenta ſarcienda animos ac vires recipiant.

Ita

Ita demum exemplo sunt iis, quibuscum versantur, tum novitiis, tum ceteris. Agite igitur, exercete vos omnes assiduè hisce meditationibus, quando in CHRISTI Domini nostri castris insignes esse concupistis. Ac mihi credite, eorum, qui in hæc loca venerint, virtutem satis exploratum iri: útque in cujusque generis virtutibus quærendis diligentissimi fueritis, nihil tamen vobis supervacaneum futurum. Nec verò hæc eò pertinent, ut ostendam difficile atque arduum esse Deo servire, cujus constat jugum leve esse ac suave. Nam si *quæras Deum in veritate*, atque iis, quibus ad eum pervenitur, itineribus strenuè ingrediaris; profectò tantum ex ejus obsequio lætitiæ manare sentias, ut quicquid est in sui victoria acerbitatis atque amaritiei, facilè mitiget ac leniat. Deus bone, non intelligunt homines, quantâ, quàm liquidâ voluptate careant idcirco, quòd minùs fortiter dæmonis conatibus obsistant; quæ quidem res imbecillas mentes, non divinæ bonitatis cognitione solùm, sed etiam ærumnosæ hujus vitæ solatiis privat: præsertim cùm ejusmodi vita divinæ expers dulcedinis continua mors sit magis quàm vita.

Vereor, ne quem vestrûm dæmon solicitet, propositis maximis quibusdam institu-

tæ vitæ difficultatibus. Quid ille faceret, si vos opportuniore loco nancisceretur? Nimirum huc spectant illius consilia, ut vos soliciti atque anxii, neque vobis ipsi, neque aliis, quibuscum versamini, emolumento sitis. Itaque illud insusurrat. Quid agitis? an non videtis vos in vestris conatibus oleum & operam perdere? Hujusmodi cogitatione eorum, qui se ad Dei obsequium contulerunt, plerique tentantur: cui quidem, ut fortiter constantérque resistatis, vos vehementer etiam atque etiam rogo. Vsque eò enim hæc pestis pietati perfectioníque virtutis perniciosa est, ut non modò nos ab instituto cursu retardet, verùm etiam cum magna animi molestia atque angore deducat. Proinde quisque vestrûm, ubicumque est, se primùm, deinde alios juvare studeat, inducátque in animum, nusquam se meliùs, quàm ubi à Præposito constitutus sit, operam Deo navare posse. Et simul confidite, Deum, ubi tempus fuerit, hanc iis qui præsunt mentem daturum, ut eò vos potissimùm mittat, ubi vester labor fructuosissimus sit futurus. Ita læti atque alacres magnos in virtute progressus facietis, & tempus rectè collocabitis; cujus pretium etsi multis ignotum, tamen maximum est. Siquidem tam accuratè otii ratio est Deo reddenda. Nam

anxii homines & ancipites neque in iis locis, ubi esse cupiunt, quicquam proficiunt, quòd absint; neque ubi sunt, sibi aut aliis prosunt, quòd alió cogitent.

Quicunque in isto S. Fidei Collegio versamini, in vestræ imbecillitatis cognitione, diu multúmque vos exerceatis censeo, vestráque vitia hominibus, qui vos consilio & auxilio juvare queant, (cujusmodi vestri Confessarii sunt, aliique domestici satis experti) penitus aperiatis. Nimirum ut isthinc emissi, & vos ipsi, & alios pro usu & scientia, quam à vitæ præceptoribus habetis, curare possitis Sic enim habetote, novis vos tentationum generibus solicitatum iri, cùm bini aut etiam singuli terrâ marique vos cinctos videbitis barbarorum aut tempestatum periculis, quæ numquam antè ne cogitastis quidem. Quòd si qui in pravis animi motibus edomandis, versutissimique hostis insidiis cognoscendis non se multum ac diu exercuerint, ipsis cogitandum relinquo, quantum periculi adituri sint, cùm lacessent mundum, *qui totus positus est in maligno*. Quî tandem, nisi submissione multùm valeant, adversarii petitiones eludent? Illa etiam me cura solicitat, ne dæmon per suas præstigias, *transfigurans se in Angelum lucis*, vestrûm aliquem decipiat; & eximiis Dei erga vos

ga vos meritis, itémque miseriis (è quibus vos in Societatem Filii sui vocatos eripuit) propositis, in vanam fiduciam ac securitatem inducat, ut expetatis istinc ante tempus emitti: quippe qui ita vobiscum ratiocinemini: Si adhuc Deus tam brevî tam multa ac magna vobis in isto domicilio dedit beneficia, cùm primùm istinc ad conversionem Ethnicorum dimissi eritis, multò & plura & majora eum utique daturum. Quâ quidem dæmon cogitatione injectâ, facilè persuadeat, vos isthic sedere otiosos. Verùm ista adversarii petitio duobus propulsari modis potest: primùm, si vobiscum reputetis, complures esse homines facinorosos, qui si abstersâ superioris vitæ quasi fuligine, in eadem, ubi vos estis, scholâ virtutis divinitus collocarentur; non modò vitæ rationem commutarent, sed etiam vos sedulitate, ac virtute, non sine vestro pudore, præcurrerent. Hoc eò dico, ut in animum inducatis (id quod ita est) vos idcircò à gravioribus flagitiis abstinere, quòd isthic occasiones Deum offendendi desint, fruendi adsint. Nam qui nesciunt, unde tantum boni proveniat, quod loci & domesticorum beneficium est, virtuti tribuunt suæ: proinde negligunt ea quæ parva videntur, cùm tamen sint per se magna: qui autem ea temerè contemnunt,

temnunt, parvi ipsi sunt, ac meritò contemnendi. Deinde faciendum est diligenter, ut vestras voluntates ac judicia ad vestros Præpositos rejiciatis, planè confidentes fore, ut Deus pro sua benignitate eam illis injiciat mentem, quæ vestris rationibus conducat maximè. Cavete porrò, ne importunè quicquam ab illis flagitetis; quod nonnulli faciunt, qui usque eò Superiores urgent suos, dum quod concupierunt, quamvis perniciosum, extorqueant: quod si denegatum sit, palàm queruntur vitam sibi insuavem & acerbam esse. Neque intelligunt miseri, acerbitatem illam ac molestiam ex eo nasci & augeri, quòd voluntatem suam Deo semel addictam ac devotam neglecto voto intervertere, ac sibi vindicare conentur. Enimverò isti quò magis suis voluntatibus obsequi student, hoc magis anxiis & solicitis animis vitam vivunt. Itaque non pauci istorum sunt adeò sui juris, voluntatis ac sententiæ, ut numquam ferè sponte pareant Superioribus, nisi cùm jubentur facere quod volunt. Cavete per Deum immortalem, ne ex hoc numero sitis. Quare in domesticis rebus, quæ vobis à Præpositis imperantur, summo studio exequimini: & divinâ ope instinctum eludite dæmonis persuadere conantis, vos in alio munere plus profi-

proficere posse: ne scilicet munus, cui præpositi estis, rectè obeatis; quo insidiarum genere ille etiam eos, qui litteris ac bonis artibus dant operam, petere solet.

Oro vos etiam atque etiam per CHRISTVM JESVM, ut in abjectis atque humilibus officiis dæmonem egregiè superare nitamini. Ac multò etiam magis elaboretis in tentationibus vestri muneris propulsandis, quàm in suscipiendis laboribus corporis, ut imperata faciatis. Neque enim desunt, qui extrinsecus suo officio satisfaciant, intrinsecus non item; quòd pravos animi motus coërcere, & impedimenta à dæmone contra officium injecta ad retardandum virtutis cursum removere minimè student. Atque isti ferè tristem & solicitam vitam agentes, nihil in pietate ac virtute progrediuntur. Nemo se ipse fallat; non potest quisquam magnis in rebus excellere, qui non priùs excellat in parvis. Nam cùm multi multorum in hoc genere versantur errores, tum præcipuè eorum, qui id agunt, ut per speciem pietatis ac studii convertendorum animorum, obedientiæ crucem sanè levem subterfugiant, ut longè graviorem suscipiant. Neque cogitant miseri, qui parvo oneri ferendo non sit, multò minùs magnum esse laturum. Etenim isti, qui exiguis virtutibus & obse-
quii

quii viribus magna ſuſcipere negotia geſtiunt, ubi ſe rerum mole ſentiunt opprimi, tum verò ſe ſtultitiæ damnantes onus abjiciunt. Atque etiam ex iis, qui Conimbricâ transmittent in Indiam, vereor ne nonnulli ſint, qui ſimul atque videant ſe atrociſſimis oceani tempeſtatibus periclitari, in Conimbricenſi Collegio, quàm in navi eſſe malint. Itaque fervores quidam virtutis ſunt, qui refrigeſcunt in ipſo Indico curſu. Quod ſi qui in Indiam ardorem pertulerunt; ubi barbarorum regiones peragrantes cœperint quâ ærumnis premi, quâ periculis urgeri; profectò, niſi altas in eorum animis radices virtus egerit, facilè ſuccumbunt, ac demum ardore illo, quem attulerant, reſtincto, qui modò in Luſitania cùm eſſent, Indiam adamaverant, in India deſiderio tenentur Luſitaniæ. Idem aliquibus veſtrûm uſu venire poteſt, qui iſtius domicilii bonis & commodis aſſueti, nunc magno animi ardore concepto, ad venandas animas emitti geſtiunt: at verò ubi in medium certamen, quod tantopere expetunt, ventum erit, & ardor ille refrixerit, fortaſſis iſtius Collegii deſiderium ferre non poterunt. Videtis, quò tandem evadant ſubiti iſti & immaturi fructus charitatis? quàm periculoſi magni conatus ſint, niſi conatibus vires reſpondeant?

Nec

Nec verò hæc eò ſpectat oratio, ut mirificos veſtros ad pietatem impetus comprimam, ardorémque animorum à rebus arduis deterream, quò minùs eximios vos præbeatis Chriſtianæ religionis propagatores, atque illuſtria virtutis ac ſanctitatis exempla poſteris relinquatis: ſed tantùm ut in rebus etiam parvis magni ipſi exiſtere conemini, & ex tentationibus ac certaminibus cum dæmone, quantum in vobis virium ſit perſpiciatis: omninóque omnem ſpem, fiduciam, præſidium in uno Deo collocetis. In quo ſi conſtantia à vobis perſeverantiáque adhibita erit, non dubito, quin ſubmiſſione ac pietate in ſingulos dies aucti, maximum barbarorum numerum CHRISTO ſitis aggregaturi; idque ſummâ æquitate ac tranquillitate mentis, ubicumque demum terrarum verſemini. Par enim eſt eos, qui animi ſui perturbationes ac morbos norunt, curántque diligenter, aliorum quoque vulnera benignè curare, periculisque vel cum capitis ſui periculo ſubvenire. Nam qui ſuas ipſi pravas affectiones agnoſcere & curare ſtudent, nullo negotio agnoſcunt & curant alienas: & qui CHRISTI Domini noſtri cruciatibus permoventur, facilè ad eumdem ſenſum alios permovent. Neque enim video, quî fieri poſſit, ut motum ullum alteri

teri adhibeas, nisi idem in te impressus antea sit atque inustus. Sed ad institutam rerum Japonicarum narrationem, unde digressi sumus; aliquando revertamur.

In patria Pauli S. Fidei, quem verum nobis germanúmque amicum experti sumus, Præfectus urbis, cives primarii, cunctáque civitas benignè admodum nos excepit. Novos quippe è Lusitania Sacerdotes magnâ omnes cum admiratione visebant. Haud iniquo animo ferunt, Paulum factum esse Christianum, sed eum potiùs suspiciunt; eidémque cùm cognati omnes, tum ceteri, qui aliquâ eum necessitudine attingunt, gratulantur, quòd Indiam accesserit, eásque res viderit, quas indigenarum nemo præter ipsum. Aberat Regulus leucas à Cangoxima sex: is, cùm ad eum Paulus venisset salutatum, magnoperè de hominis reditu est lætatus, magnúmque illi honorem habuit: multa etiam de moribus, de virtute, de opibus Lusitanorum sciscitatus. Cui cùm Paulus omnia exposuisset, maximopere visus est ejusmodi sermone delectari. Attulerat secum Paulus egregiè pictam in tabula B. MARIÆ & pueri JESU in matris gremio sedentis imaginem, quam ex India advexeramus. Hanc igitur cùm Regulus ab illo prolatam aspexisset, obstupuit scilicet: con-

festim

festímque & ipse positis genibus piè admodum veneratus est, & omnibus qui aderant, idem ut facerent, imperavit. Eamdem tabulam deinde Reguli mater contemplata, mirificam cepit admiratione mistam voluptatem: paucísque diebus, quibus Cangoximam Paulus reverterat, certum hominem misit, sanè honestum, qui inde sumendum quoquo modo curaret exemplum. Verùm cùm ejus rei Cangoximæ facultas deesset, negotium confici haud potuit. Eadem mulier per eumdem postulavit à nobis, uti sibi Christianæ religionis capita litteris consignata traderemus. Itaque Paulus cùm in ea re dies aliquot posuisset, multa de Christianorum mysteriis atque institutis conscripsit patriâ linguâ. Illud mihi credite, & simul Deo gratulamini, latissimum vobis campum aperiri, ubi vestra concitata jam pietas excurrat. Nos Japonicè si sciremus, jam dudum hanc vastitatem non sine magno animorum fructu coluissemus. Paulus quidem propinquis aliquot & amicis dies noctésque Evangelium sedulò prædicans, conjugem, filiam, cognatósque ac necessarios complures ad CHRISTI Fidem adduxit. Neque, ut nunc est consilium eorum qui Christiani fiunt, vulgò improbatur. Atque ut Japonii maximam partem litteras sciunt, brevi

brevi nostras precationes addiscunt. Faxit Deus, ut ad divinarum explicationem rerum Japonicam linguam condiscamus quamprimùm, tum demum aliquam Christianæ rei navabimus operam. Nam nunc quidem inter eos tamquam mutæ quædam statuæ versamur. Multa enim illi de nobis & dicunt & agitant, ad quæ nos scilicet obmutescimus, patrii ipsorum sermonis ignari. In præsentia in linguæ hujus percipiendis elementis repuerascimus; atque utinam imitemur simplicitatem candorémque puerorum: nos certè infantium similitudinem sequimur, cùm in vernacula lingua percipienda, tum verò infantium simplicitate meditanda. Quare vel hoc nomine Deo plurimùm debemus, quòd nos in has barbarorum terras deduxit, ubi nos ipsi penitus obliviscamur. Nam cùm Ethnicis, veræ religionis hostibus, omnia teneantur, in quo spem habeamus, ad cujus præsidium confugiamus, præter Deum habemus neminem. Etenim domi nostræ, ubi CHRISTI Domini religio viget, nescio quomodo homines ipsi, ac res creatæ, veluti parentum, patriæ, peregrinorum amor, amicorum consuetudines, vitæ commoda, morborúmque remedia nobis impedimento sunt, quò minùs spes omnes nostras in uno Deo fixas & locatas habeamus.

Hîc

Hic verò tam procul ab domo, atque inter barbaros, ubi nos omnia præsidia subsidiáque humana deficiunt, unâ Dei fiduciâ nitamur necesse est. Hæc tantorum erga nos Dei beneficiorum cogitatio non vulgarem nobis pudorem ac verecundiam affert. Divinam enim in nos largitatem pene oculis cernimus, ut qui in hæc loca divinæ religionis amplificandæ studio venientes aliquam à Deo gratiam inire nos arbitraremur, nunc demum planè videamus, id ipsum summum Dei esse beneficium. Etenim ille, cùm nos perduxit in Japoniam, rerum humanarum amore, quo irretiti minimum in Deo spei habebamus, penitus expedivit, ut toti apti ex ipso penderemus. Vos quæso me ad gratias pro tantis meritis divino Numini agendas adjuvate, ne ingrati animi vitium incurram. Enimverò hoc vitium fontes divinæ largitatis avertit, ne dona majora accipiat, qui in minoribus fuerit ingratus.

Nec verò de aliis beneficiis, quæ divinitus nobis tributa sentimus, vos celandos putamus, ut scilicet unà nobiscum illi largitori Deo immortales gratias agatis. Ceteris in locis cibariorum copia cupiditates excitat, atque alit adversus frugalitatem ac temperantiam; ex quo vulgò multa graviáque accipiuntur vel animorum detrimenta, vel corpo-

corporum. Nam intemperantes cùm multa & gravia à Medicis patiuntur, tum verò vitam suam affligunt, aut etiam extingvunt; longéque plus deinde molestiarum ex medicamentis capiunt, quàm antea voluptatis ex epulis ceperant. Ex his porrò molestiis in cruciatus delabuntur haud paulò acerbiores: vitam enim suam sæpè Medicis credere coguntur, qui vix demum post multos errores & inanes curationes morbis faciunt medicinam. Itaque magnum Dei beneficium duco, quòd nos in loca ab his deliciis vacua abduxit, ubi, ut maximè velimus, corpori indulgere non possumus. Etenim hîc altiles aves nec mactare, nec comesse solent: vulgò oleribus & oryzâ victitant: triticum, pisces, poma, ceterique arborum fructus in deliciis numerantur. Ergo plerique temperantiæ beneficio prosperâ admodum utuntur valetudine; senes passim cernuntur plurimi: ut vel hinc facilè appareat, naturam nostram, quæ ceteroquin insaturabilis videatur, paucis esse contentam. Nos hîc corpore optimè valemus; utinam æquè animo valeamus.

Est quiddam præterea, quod vobiscum communicare pæne cogimur: videtur enim Deus magnum nobis ostentare beneficium, ad quod impetrandum vestris nos precibus

ac sa-

ac sacrificiis juvetis velim. Japonii magna ex parte Bonzii sunt, qui valdé observantur à populo, etsi eorum flagitia minimè obscura. Causa cur in tanto honore habeantur, singularis quædam ciborum abstinentia videtur esse. Quippe suis legibus carne, pisce, vino prorsus abstinent; oleribus tantùm, pomis, oryzâ vivunt, sic, ut semel duntaxat in die cibum capiant. Bonzii, ut dixi, plurimi sunt, eorúmque cœnobia parum à vectigalibus instructa. Verùm propter eximiam illam frugalitatem, & simul quòd ii præsertim qui clericorum utuntur ornatu, à mulierum consuetudine (capitalis enim ea noxa est) longè refugiunt, & historias quasdam aut fabulas potiùs suarum religionum diligenter exponunt, magnam apud Japonios venerationem habent. Itaque cùm pravis horum opinionibus atque erroribus Christiana veritas vel maximè adversetur, periculum est, ne ubi primùm cœperimus Evangelium prædicare, eorúmque commenta coarguere, infensis animis in nos impetum faciant universi. Nimirum illud unum propositum est nobis, ut Japonios ad CHRISTI Domini notitiam Fidémque perducamus; ídque ejusdem ope, cui operam navamus, nos effecturos confidimus. Atque à multitudine quidem ipsa nihil nobis pe-

bis periculi videtur eſſe, niſi fortè illa in nos à Bonziis concitetur. Nos verò neque ulla cum Bonziis certamina temere ſuſcipiemus; neque tamen divinæ gloriæ deerimus & animorum ſaluti. Exploratum quippe habemus, illos nobis niſi Dei permiſſu nocere non poſſe. Quòd ſi accidat ut in tam pia honeſtáque causâ vitam ponamus, næ nos in maximis id Dei beneficiis numerabimus. Ipſis etiam gratiam habebimus, qui continuæ hujus mortis finem initiúmque beatæ ac ſempiternæ vitæ nobis attulerint. Certum eſt, nullis eorum minis aut terroribus à pronuntianda veritate deſiſtere. Si quidem Deus vitam noſtram alienâ animi ſalute poſteriorem habere nos jubet: fixum eſt divino præcepto parere, Deo utique ipſo bene juvante, & animos viréſque ſuppeditante, ut Japonios à tantis ſuperſtitionum tenebris in Evangelii lucem evocemus.

Magna in ſpe ſum, divinam nobis opem in tali re non defuturam: quippe cùm noſtris diffiſi viribus, ſpem omnem in CHRISTI Domini vi ac poteſtate ſumma, ſanctiſſimæque ejus Parentis, Angelorum omnium, ac præſertim Michaëlis Archangeli Præſidis, Eccleſiæ militantis patrocinio defixerimus. Multum etiam ſpei in eo Archangelo ponimus, cujus in clientela tuteláque Japonia

est; eíque nos, itémque reliquis Angelis hominum custodibus nostrum negotium quotidie nominatim commendamus; uti non desinant pro Japonum clientum suorum conversione ac salute Deum deprecari. Atque etiam beatorum omnium auxilium imploramus assiduè; in tanta animorum calamitate, ac pro tot Dei imaginum conservatione, earum Conditori tot talésque deprecatores allegando supplicamus: nec dubitamus, quin quicquid in hac ipsa cælestium imploratione à nobis per incuriam ac negligentiam delinquitur, à beatis illis Sociis nostris compensetur, qui nostra qualiacumque studia gratificandi Deo, sanctissimæ Trinitati studiosissimè cupidissiméq; offerũt. Hisce nos tot tantísque præsidiis haud paulò magis excitamur ad spem victoriæ, quàm dæmonum insidiis ac minis, quamvis multis ac magnis, ab hac dimicatione deterremur. Nimirum stultissimè faceremus, si nostrâ vi ac sapientiâ niteremur. Sed Deus pro sua providentia tantos terrores, ærumnas, pericula ab hostibus opponi, eò videlicet sinit, ut nostros spiritus frangat, animos demittat, nósque ad submissionem animi humilitatémque erudiat; ne quid umquam in posterum nostro consilio, sed divino planè præsidio confidamus. Qua quidem ille in re & suam beni-

benignitatem & noſtri memoriam facilè declarat: noſtros enim animos interioribus præceptis docet, quàm nihil per nos ipſi valeamus, cùm patitur animos noſtros parvis ſæpe incommodis ac periculis ſolicitari, ne nobis ipſi fidentes, optimi parentis negligamus auxilium. Nam ſi qui ſui fiduciâ quippiam aggrediuntur, his ſæpe parva impedimenta moleſtiora ac difficiliora ſunt ad ſuperandum, quàm vel maxima pericula & calamitates iis, qui ſibi omnino diffiſi, ſpem omnem ſuam poſitam habent in Deo.

Magni ad ſolatium noſtrum refert, vos gravis cujuſdam noſtræ curæ ac ſolicitudinis ignaros non eſſe, quò nos veſtris vel precibus, vel ſacrificiis adjuvetis. Nam cùm Deum delicta noſtra & multa & magna non lateant, illa nos cogitatio valde ſolicitat, ne divinæ opis aura conatus noſtros ad fines non provehat optatos, niſi magna quædam morum vitæque emendatio in nobis extiterit. Quam ad rem deprecatoribus utendum eſt omnibus noſtræ Societatis hominibus ac ſtudioſis, ut per eos Eccleſiæ univerſæ CHRISTI Domini noſtri ſponſæ ſiſtamur; quàm ſua nobiſcum merita innumerabilia communicaturam confidimus, nóſque ſponſo ſuo, eidémque Patri noſtro JESV CHRISTO, ejúſque ſanctiſſimæ Parenti commendaturam.

daturam. Ita fiet, ut hi rursus æternum Patrem, bonorum omnium fontem atque auctorem exorent, ut nos continenter in officio contineat, & nostra delicta suâ infinitâ bonitate obruens, cælestia in nos dona congerere non desistat. Etenim ejus dumtaxat causâ in hæc loca demigravimus, (ut ipse mihi optimus est testis, cui mentes nostræ consiliáque perspecta sunt) & studio vindicandi animos hominum ex diuturna dæmonis servitute; qui pro Deo coli studet in terris, quoniam id assequi nequivit in cælo, unde deturbatus, in homines atque hos miseros Japones odium expromit suum.

Sed jam faciendum est nobis, ut de Cangoximana commoratione vobis exponamus. Cangoximam appulimus, cùm adversus jam ventus esset petentibus Meacum, quæ urbs totius Japoniæ maxima est, & Regis ac Dynastarum domiciliis celeberrima. Post quintum demum mensem dicitur idonea tempestas ad Meacensem cursum reditura: tum nos Deo bene juvante solvemus. Abest Meacus Cangoxima leucis trecentis. Mira nobis de illius urbis magnitudine narrantur: tectis eam ampliùs nongentis constare perhibent: inibi Gymnasium esse celeberrimum; quinque item præcipua discipulorum Collegia, & plus viginti cœnobia

Bon-

Bonziorum, aliorúmque instar cœnobitarum, quos Legioxos appellant; itémque ejusdem generis feminarum, quas Hamacutas nominant. Aliæ præterea sunt (excepta Meacensi) in Japonia Academiæ præcipuæ quinque, Coyana, Negruensis, Fissonia, Homiana (quæ circa Meacum modicis intervallis sitæ, MMMD. circiter auditoribus singulæ celebrantur) & Banduensis, Japoniæ totius longè maxima ac celeberrima, eadémque à Meaco remotissima. Est Banduensis regio sanè ampla, quam obtinent Reguli sex, ex quibus unus opibus excellit, cui reliqui parent; ipse autem Japonio Regi, qui Magnus Rex Meacensis appellatur. Harum de Academiarum atque urbium amplitudine ac celebritate adeò mira prædicantur, ut ea priùs ipsi oculis cernere ac perspicere, ac tum demum cognita atque explorata ad vos perscribere cogitemus. Præter hasce quas diximus Academias, minores alias ferunt esse complures. Nos si horum populorum animos ad Evangelii culturam aptos paratósque viderimus, fortassis ad omnia præcipua Christianorum Gymnasia litteras dabimus, ut religionem & scrupulum nobis exemptum illis injiciamus: quando virtutum suarum ac doctrinarum præsidiis facilè tanto incommodo ob-

viam ire possent, & barbaros innumerabiles ad Conditoris Salvatorisque sui cognitionem & cultum traducere. Nimirum ad illos tamquam ad superiores ac parentes scribemus, ut nos habeant in minorum fratrum loco; & simul exponemus, quàm lætæ atque uberes animorum fruges hinc per ipsos percipi queant. Quamobrem ab eis etiam atque etiam petimus, ut si qui huc venire ipsi non poterunt, faveant certè iis, qui pro divina gloria animorúmque salute sese devoverint; quos quidem híc majora & solidiora, quàm istic, animorum solatia divinitus manent. Atque etiam, si negotii magnitudo postulabit, ipsum Pontificem Max. non dubitabimus de tota re facere certiorem. Etenim ad eum, quippe CHRISTI Vicarium, omnium gentium parentem, pastorémque Christianorum ij quoque pertinent, qui parati sunt ad CHRISTI cultum, & Ecclesiæ gremium, Pontificísque ditionem venire. Et simul pias omnes Deóque acceptas Religiosorum familias, quæ Christiani nominis amplificandi studio flagrant, invitabimus diligenter, ut ad divinam illam suam animorum sitim explendam in has Japoniæ insulas convolent, itémque in regionem Sinarum hac longè majorem: quò sine ullo injuriæ ab indigenis metu aditus patere dicitur,

tur, acceptâ fide publicâ Regis Japonii; cujus secundâ voluntate speramus nos, si Deo cordi erit, usuros. Rex enim Japoniæ amicus est Sinarum Regis, & amicitiæ causâ ejusdem annulum ac signum apud se habere fertur, ut Japonibus in Sinas proficiscentibus fidem publicam regio obsignatam annulo tradat. Complures autem Japonum naves in Sinas dierum decem aut duodecim trajectu navigare dicuntur. Magna nos spes tenet, si vel decennii vitam Deus nobis suppeditet, multa nos præclara visuros effecta, partim per eos, qui istinc advenerint, partim per eos quos hîc iidem illi ad veræ religionis cognitionem & obsequium excitaverint. Intra annum hujus sæculi quinquagesimum de rerum Meacensium, Academiarúmque statu, quod ad Christianam rem attinet, copiosiùs ad vos multa scribemus. Hoc ipso anno Bonzii duo, in Meacensi ac Banduensi Gymnasio eruditi, & cum his alii Japones complures, ad religionis nostræ mysteria cognoscenda veniunt in Indiam.

Die, qui S. Michaëli festus fuit, cum Regulo Cangoximano congressi sumus, qui nos perhonorificè acceptos commonefecit, ut monumenta Christianæ legis quàm diligentissimè custodiremus: quam si veram probámque

bámque esse perspexisset, enimverò futurum, ut diabolus disrumperetur. Paucis autem interjectis diebus, potestatem fecit omnibus, qui in suo imperio ac ditione sunt, Christianam religionem suscipiendi. Hos ego vobis lætos nuntios in epistolæ clausula illigavi, quò magis & gaudeatis ipsi, & Deo gratulemini. Hanc hiemem (ut opinor) in Symboli capitibus Japonicè paulò copiosiùs explicandis consumemus, eo consilio, ut explicationem typis imprimamus, quò quàmplurima loca (neque enim ipsi omnibus præsentes subvenire possumus) litterarum beneficio, quarum plerique Japones gnari sunt, Christiana religio pervagetur.

Paulus quidem noster fideliter in patriam linguam convertet omnia, quæ ad animorum salutem necessaria videbuntur. Nunc verò vos (quoniam tantus virtuti vestræ campus aperitur) egregios vestros ad pietatem impetus Deo ac cælestibus probare oportet. Id assequemini, si intimam animi submissionē factis & vitâ declarabitis, omnémque existimationis vestræ curam Deo permittetis. Is enim suapte sponte existimationem vobis auctoritatémque apud homines conciliabit; aut si id facere omittat, vestrâ utique causâ omittet, quòd periculum esse intelligat, ne fortè quæ Dei sunt, ea vobis

bis tribuatis. Illa me cogitatio valde consolatur, quòd in animum induco meum, vos in vestris animis tot semper vitia animadvertere, quæ reprehendatis, ut magnum vos capiat odium arrogantiæ: & simul summum teneat desiderium absolutæ cumulatæque virtutis; sic prorsus, ut nullum relinquatis alienæ reprehensioni locum. Quo fit, ut humanam laudem crucis instar habeatis; quippe quæ vestrorum vos admoneat vitiorum.

Sed finem aliquando scribendi faciam: quanquam nullus esse finis potest, meæ erga vos vel universos, vel singulos benevolentiæ declarandæ. Ac si divino inter se amore diligentium animi oculis cerni possent, vestras Fratres effigies utique expressas in animo cerneretis meo. Quòd si fortè in eo, tanquam in speculo vos ipsos intuentes vestras minimè agnosceretis imagines; id scilicet eveniret idcirco, quòd cùm ego maximè vestram virtutem suspiciam, vos contrà vestram contemnatis infirmitatem, pro vestra egregia humilitate haudquaquam vos ipsos in animo meo agnosceretis, quanquam ipsas vestras imagines in mente nostra cerneretis impressas. Obsecro vos, Fratres, ut vero germanóque amore inter vos complectamini, neque ullam offensionem animo-

rum exoriri aliquando ſinatis; præclara illa veſtra ſtudia agendi patiendique pro CHRISTO ad vos inter vos diligendos, & offenſiones, ſi quæ fortè extiterint, tollendas ſedulò conferatis. Neque enim vos fugit divina illa CHRISTI Domini vox: *in hoc cognoſcent homines, quòd diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis inter vos.* CHRISTUS Dominus ſuam mentibus noſtris voluntatem declaret, viréſque ad eam perfectè exequendam pro ſua bonitate ſuppeditet. III. Non Novemb. M.D.XLIX. Cangoximæ.

## EPISTOLA VI.

### Societati Goam.

Summarium. *Monet ad Luſitana præſidia excurrendum, Goæ Catechiſmum ſedulò docendum, propriæ ſaluti primùm attendendum Sinas Japonióſque Collegij Goani alumnos præcipuâ quadam operâ inſtituendos, duos Bonzios Neophytos perbenignè accipiendos, & encyclicas ſuas litteras deſtinandas.*

*Gratia & Charitas D. N. &c.*

SI tanta vos tenet mei memoria, quanta me veſtri, utrique deſiderium corporum leviùs feremus, cùm ſemper ferè animis præſentes adſimus. Luſitana Indiæ præſidia, quæ Sociis noſtris carent, ſic vobis commendo, ut majore ſtudio commendare non poſſim,

possim, idque pro maximis Regis Lusitaniæ in nos omnes, qui in India versamur, beneficiis atque promeritis. Si Socii Goam Concionatores Olyssipone pervenerint, per hos illis consuletis; sin minùs, alios submittetis Socios, quorum virtus animíque submissio Lusitanos juvet, confessionibus audiendis, sermonibus habendis, pueris servísque ad Christianam pietatem erudiendis, ceteris per pias meditationes ad honestatem excitandis, reliquísque nostræ Societatis muneribus obeundis. Et sanè boni apud improbos vitæ exemplo assiduè concionantur, atque adeò plus quàm Concionatores è suggestu sæpe proficiunt: quippe cùm longè plus momenti ad permovēdum in factis sit, quàm in dictis. Si Goano in Collegio Socii sunt ad Christianam doctrinam in omnibus urbis templis teneræ ætati tradendam idonei, solitis horis mittendos censeo, ut Catechismum quidem doceant quotidie, Dominicis autem ac Festis diebus appositam etiam ad ea, quæ explicantur è Catechismo, cohortationem habeant; & simul sancti alicujus viri præclara facta commemorent, Collegii porrò istius Rector idem faciat in maximo urbis templo. Si alii præterea Concionatores domi sunt, qui pueros Christianæ disciplinæ rudimenta docere queant, pergra-

tum mihi fecerint, si eos docuerint, ac suæ virtutis odore atque exemplo reliquos excitaverint ad studium pietatis. Verùm sermone omnes utantur apud Lusitanos vulgari ac vernaculo, quali indigenæ Christiani ac mancipia uti solent; quod ego quoque, cùm istic essem, sequebar; quoniam is sermo faciliùs in aures atque animos influit auditorum. Quid in hoc genere fiat, facite identidem ut sciam. Magnopere hortor, ut vobis ipsi (quod caput est) primùm attendatis: *Qui enim sibi nequam est, cui bonus erit?* quî alios curare potest, qui se ipse negligit? quî tandem attentus ac diligens erit in alienis rebus, qui est dissolutus in suis? Jam Collegii alumni, ut maximam partem Sinæ aut Japones sint, curate; eos bonis moribus ac litteris imbuite; in Lusitano sermone utique exercete, ut hîc, ubi magno usui esse possunt, interpretum munere fungantur. Equidem unde majores animorum fructus percipi queant, quàm ex Japonia ac Sinis, orbis terræ partem esse arbitror nullam. Venient istuc in Collegium hoc anno Bonzii Japones duo, qui omisso illo sacrilego sacerdotio, ad CHRISTI Fidem sese contulerunt. Curate, ut eos comiter benignéque tractetis, item ut ego, cùm apud vos essem, Paulum Japonem à S. Fide tractabam. Etenim

Japo-

Japonum ingenia ejusmodi ſunt, ut nullâ re flectantur ac regantur aliâ, niſi humanitate ac benevolentiâ. Tres illos quos popoſci Socios ad me mittetis. Epiſtolam autem de interioribus animi ſenſibus, quam in eumdem faſciculum conjeci, circum alias Sociorum ſedes, quæ in India ſunt, mitti ac recitari placet. CHRISTUS Dominus noſter pro ſua bonitate ac miſericordia nos omnes in ſua felicitate conjungat. Amen. Datæ III. Non. Novembris. M.D.XLIX. Cangoximæ.

## EPISTOLA VII.

### Societati Goam.

Summarium. *Res anno* M.D.L. *in Japonia geſtæ. Bonziorum adverſus* CHRISTI *religionem machinatio. Japonum de lege Chriſtiana judicium. Amangucij habitæ in compitis conciones. Oratio de Fide ad Regem Ethnicorum ad commemorationem* CHRISTI *necis fuſæ lacrymæ. Meacus, urbs ampliſſima, ob belli tumultum ad Evangelium excipiendum minùs accommodata. Amanguciani Regis in cæleſtem legem animus. Concertationes de ſacris inſtitutæ. Quingenti fidem amplexi.*

SUPERIORE anno, Fratres chariſſimi, de noſtro itinere, adventúque in Japoniam, rebúsque è re Chriſtiana geſtis ad vos ſcripſi Cango-

Cangoximâ; nunc quid ex eo tempore Deus per nos gesserit, exponam. Ad Pauli nostri patriam cùm pervenissemus, ab ejus cognatis ac necessariis accepti sumus perhumaniter. Hi Pauli sermonibus adducti, CHRISTO se aggregârunt omnes. Itaque, ut nostræ religionis veritatem perspicerent, annum totum ibidem, eóque ampliùs commorati sumus. quo temporis spatio ad Christi ovile compulsi ampliùs centum. Ac reliqui idem facere si vellent, sine ulla ferè parentum ac propinquorum offensione potuissent. Verùm Bonzii Regulum (is est multorum oppidorum dominus sanè potens) commonefecerunt, eique denuntiârunt, si suos populares CHRISTI religionem suscipere pateretur, ditionem ejus universam interituram: patrios deos (Pagodes vocant) in contemptum indigenarum esse venturos. Legem quippe Divinam Japonicis legibus esse contrariam: quocirca futurum, ut, qui eam amplecterentur, sacrosanctos avitarum legum latores repudiarent. Id verò sine magna oppidi ac ditionis pernicie fieri non posse. Quare respiceret sanctissimos illos Japonicarum legum auctores: & quoniam divinam legem avitæ adversariam atque inimicam esse sentiret, ediceret morte propositâ, ne quis in posterum fieret Christianus.
Hac

Hac oratione commotus Regulus, uti Bonzii postulârant, edixit. Hoc interim spatio nos in Neophytis erudiendis, Japonicâ linguâ discendâ, Christianæque Fidei capitibus Japonicè vertendis operam posuimus. Ac de mundi procreatione breviter attingebamus ea, quæ hisce hominibus opportuna videbantur: veluti Deum hujus universitatis opificem ac procreatorem esse; quod illi funditus ignorabant: itémque cetera ad salutem necessaria, præcipuè verò Deum humanam induisse naturam. Quamobrem omnia quæ in CHRISTI vita elucent mysteria, usque ad ejus in cælum ascensum, novissimíque Judicii rationem, tradebamus diligenter. Eum jam librum, Japonicè magno labore conversum, nostratibus litteris mandavimus. Hinc deinceps illa, quæ dixi, ad Christi Fidem accedentibus recitamus; ut Neophyti rationem teneant Dei ac JESU CHRISTI piè ac salutariter colendi. Ea nos secundâ concione cùm exponeremus, magnam ex iis Christiani ceperunt animis voluptatem: quippe qui ea, quæ à nobis dicerentur, planè vera esse intelligerent. Omnino Japonum ingenia eximia sunt, & mirè obedientia rationi. Divinam legem veram, avitam ipsorum falsam esse planè vident: sed à Christiana religione suscipienda Reguli metu deterren-

terrentur. Vertente anno, cùm oppidi dominum nostræ religionis amplificationi omnino adversari videremus, constituimus aliò demigrare. Itaque Neophytos valere jussimus, qui pro suo erga nos amore singulari, flentes, maximásque nobis agentes gratias, quòd tanto labore nostro æternæ salutis iter eis commonstrâssemus, ægrè admodum nostrum discessum tulerunt. Reliquimus apud eos Paulum eorum civem, eumdémque Christianum egregium, qui Neophytos Christianis præceptis expoliret. Inde nos in aliud oppidum profectos Dynasta perhumaniter accepit: ubi dies aliquot commorati, CHRISTO adjunximus ferè centum. Nemo tamen nostrûm Japonicè sciebat; nihilo seciùs semi Japonico illo volumine recitando, & sermonibus ad populum habendis, eorum complures ad CHRISTI cultum traducebamus.

Cosmo Turriano his Neophytis præsidere jusso, ego cum Joanne Ferdinando Amangucium, Regis (ut captus est Japoniorum) sanè opulenti sedem contendimus. Ea urbs familiarum ampliùs decem millibus continetur; tota domibus ligneis constat. Hîc plurimos offendimus tum è plebe tum è nobilitate Christianæ legis cognoscendæ percupidos. Itaque cùm optimum factu statuisse-

tuissemq in compitis ac triviis bis in die concionari, nostri illius libri capita pronuntiantes, de CHRISTI religione ad populum verba faciebamus. Dynastæ etiam nonnulli domum suam nos invitabant, ut commodiùs de nostra religione cognoscerent: atque ultro pollicebantur, eam se suâ meliorem si censuissent, sine ulla dubitatione suscepturos. Ac multi nostros sermones de Lege divina sanè libenter audiebant; alii contrà iniquis ferebant animis; ultro etiam quæ dicebantur irridebant. Ergo quoties per urbis vias ibamus, toties nos magna puerorum atque infimæ fæcis multitudo irridens, atque illudens ejusmodi vocibus prosequebatur: *En qui divinam nos Legem, ut salvi simus, suscipere jubent; propterea quòd ab interitu vindicari nisi per omnium rerum Effectorem ejúsq; Filium non possimus. En qui plus unâ uxore habere nefas esse prædicant.* Consimili modo reliqua nostræ religionis capita inculcabant per ludum ac jocum. Dies jam aliquot posueramus in hoc concionatorio munere, cùm Regis, qui tum in urbe erat, accersitu ad eum venimus. Percontanti unde tandem essemus, cur in Japoniam venissemus; respondimus, nos Europæos esse eò missos divinæ Legis prædicandæ gratiâ: quippe cùm nemo, quin Deum ejúsque Filium

JESUM

JESUM CHRISTUM omnium gentium vindicem ac salvatorem castè piéque coleret, salvus atque incolumis esse posset. Tum ille divinam sibi Legem exponi jussit. Quare bonam voluminis partem recitavimus; & quamdiu de scripto diximus (diximus autem horam eóque ampliùs) diligenter ab eo attentéque auditi sumus, atque ita dimissi. In ea urbe dies permultos morati, in viis ac triviis verba fecimus ad populum. Complures avidè præclara CHRISTI facta audiebant: cúmque ad acerbissimam ejus cædem ventum erat, lacrymas tenere non poterant. Verumtamen Christianis sacris initiabantur admodum pauci. Ergo cùm exiguus nostrorum laborum ibi fructus extaret, Meacum, urbem totius Japoniæ (ut dixi) celeberrimam, perreximus. Menses in itinere posuimus duos: multis periculis, quòd per regiones bellis flagrantes transeundum erat, perfuncti sumus. mitto summa locorum illorum frigora, & vias frequentibus latrociniis infestas. Meacum ut venimus, dies aliquot expectavimus, dum facultas esset adeundi Regis, petendique ab eo ut divinam Legem in suo regno nobis liceret divulgare; sed omnes ad eum aditus penitus clausos offendimus. Itaque ut Regis imperia à Regulis & Dynastis contemni solita accepimus,

mus, consilio veniæ ejusmodi petendæ abjecto, civium animos ac sensus tentare atque explorare placuit, ut perspiceremus, quàm esset ea civitas ad CHRISTI cultum recipiendum accommodata. Verùm quòd cives in armis essent, gravique urgerentur bello, tempus ab Evangelii prædicatione alienissimum judicavi. Meacus urbs olim fuit amplissima; nunc propter assiduas bellorum calamitates, magna ex parte eversa atque vastata est. Quondam (ut ajunt) tectorum millibus CLXXX. constabat. Id sanè mihi verisimile videtur: murorum enim circuitus longè maximam fuisse urbem declarat. Nunc etsi magna ex parte eversa est, tamen domorum millia continet ampliùs centum.

Cùm neque pacatam, neque ad Evangelium paratam sensissemus esse Meacensem civitatem, Amangucium remigravimus; Regique litteras, ac munera amicitiæ causâ ab Indiæ Prorege & Goano Episcopo missa reddidimus. Rex, & donis & litteris admodum delectatus, ut nos remuneraretur, magnum nobis auri argentique pondus obtulit. Quibus nos muneribus remissis, eum rogavimus, ut si quod munus advenis hominibus gratum dare vellet, divinæ Legis in sua ditione nobis promulgandæ, suis popu-

laribus

laribus suscipiendæ faceret potestatem; hoc munere nihil gratius accidere nobis posse. Id ille libentissimè largitus est. Ergo edicta celeberrimis urbis locis proposuit, quibus edicebat placere sibi cælestem Legem in sua ditione promulgari; eamdem iis, qui vellent, suscipere licere: & simul vacuum cœnobium nobis ad habitandum attribuit. Huc ad nos novæ religionis cognoscendæ causâ multi ventitabant. Bis concionabamur in die: concionem semper excipiebat concertatio de religione bene longa. Proinde perpetuò aut in sermonibus habendis, aut in quæstionibus profligandis eramus occupati. Concionibus sæpe intererant Bonzii multi, aliique è nobilitate ac plebe quamplurimi. Semper ferè domus erat hominibus referta, sic ut interdum nonnulli loci angustiis excluderentur. Percontantium tanta vis fuit, ut ex responsis planè & legum suarum, latorúmque falsitatem, & Christianæ legis veritatem intelligerent. Post multorum dierum certamina & interrogationes, denique victi manus dare, & ad CHRISTI Fidem se conferre cœperunt. Omnium autem principes extiterunt ii, qui in concertationibus percontationibúsque acerrimos sese præbuerant adversarios. Horum permulti honesto erant loco nati, qui CHRISTI

reli-

religione susceptâ, usque eò nobis amici repentè existebant, ut nullis verbis id exequi possim. Ac novi Christiani fidelissimè Japonica mysteria, aut ineptias potiùs, enunciabant. Nam, ut initio dixi, sectæ Japonicæ sunt numero novem, quæ præceptis atque institutis valdè inter se discrepant. Perspectis earum sectarum opinionibus, ad eas refellendas argumenta conquirere cœpimus. Ergo quotidie interrogationibus & argumentis Bonzios veneficos, ceterósque Christianæ legis hostes acriter urgebamus, sic prorsus, ut illi demum adversus redarguentium voces hiscere non auderent. Christiani cùm Bonzios viderent convictos reticere, gaudebant scilicet, & quotidie magis confirmabantur in CHRISTI Fide. Ethnici autem, qui concertationibus aderant, in suis religionibus valde nutabant, cùm avitas disciplinas labare cernerent. Enimverò id Bonzii iniquo ferebant animo; cúmq; ipsi concionibus interessent, ac cernerent multos fieri quotidie Christianos, eos graviter accusabant, quòd avitâ religione desertâ sequerentur novam. Quibus illi respondebant, se Christianam legem amplecti, quòd eam judicarent magis naturæ consentaneam esse, quàm suam; quódque nos ipsorum interrogationibus satisfacere viderent,

rent, eos nostris non item.

Sunt omnino Japones naturâ curiosi, discendíque avidi ut qui maximè. Itaque cum aliis de suis interrogationibus nostrísque responsis numquam agere desistunt. Res novas, de religione præsertim, audire vehementer expetunt. Atque ante nostrum quidem adventum perpetuò, uti accepimus, pugnabant inter se, cùm suam quisque sectam optimam esse contenderent: sed postea quam nos audierunt, certamine de suis disciplinis ac religionibus omisso, de Christiana lege certare cœperunt universi. Ac permirum est, in tam ampla civitate omnibus in tectis ac locis divinam Legem omnium sermone celebrari. Horum ego percontationes persequi si vellem, finem scribendi nullum facerem. Magna est Japonum opinio de Sinarum sapientia, vel in mysteriis religionis, vel in moribus atque institutis civilibus. Itaque illud præcipuè urgebant, si ita res esset, uti nos prædicaremus, quî fieret, ut id Sinæ ignorarent? Post multas percontationes ac disputationes, Amanguciani ad CHRISTI Ecclesiam aggregari cœpti partim è plebe, partim è nobilitate. Ac mensium duorum spatio facti sunt Christiani facilè quingenti, atque hic numerus augetur indies: ut magnopere lætandum, Deóque gratulandum sit,

ſit, tam multos eſſe, qui CHRISTI religionem amplectantur, quique Bonziorum fallacias librorúmque ſuorum atque ſectarum myſteria enuntient. Nam qui CHRISTO ſe adjunxerunt, alii aliam diſciplinam ſequebantur: ex quorum numero eruditiſſimus quisque exponebat diſciplinæ ſuæ inſtituta ac præcepta nobis. Horum ſtudia ſi mihi defuiſſent, haudquaquam nefarias Japonum religiones ſatis cognôſſe & oppugnare potuiſſem. Chriſtiani incredibile eſt quàm nos diligant: domum ad nos ventitant, rogatum ecqua in re ipſorum operâ uti velimus. Sanè Japones omnes naturâ officioſi videntur: Chriſtiani quidem certè (quæ ipſorum benignitas eſt) humaniſſimos ſe nobis & officioſiſſimos præbent. Deus, & illis pro ſua miſericordia referat gratiam, & nobis pariter cæleſtem impertiat felicitatem. Anno M. D. L. Amangucio.

## Epistola VIII.

### Sociis, Malacam.

Summarium. *Scribit de reditu ſuo.*

*Gratia & Charitas D. N. &c.*

QUADRAGESIMA lux eſt, cùm ex Japonia ſoluimus, ubi res Chriſtiana, Deo favente, mirandum in modum propagatur. Quos mecum adduxeram Socios, omnes Dei bene-

beneficio incolumes Amangucii (quæ urbs perampla eſt, & ejus regni caput) præſidio reliqui Amangucianis, quorum plurimi jam ad CHRISTI Fidem acceſſerunt, multi etiam accedunt indies. Reliqua coram vobis exponam: Comparate, quæſo, aliquid nobis ex iis, quæ ſunt ad Indicam navigationem neceſſaria: & ſimul curate, ut aliqua ex Indicis navibus noſtrum præſtoletur adventum. Permagni enim refert ad CHRISTI Domini gloriam ſalutémq; animarum, me protinus iſtinc in Indiam pergere. Joannem Bravium cum reſponſis ad mea mandata huc ad me mittite quàmprimùm. Mox ego vobis res Japonicas commemorabo, quas gratiſſimas jucundiſſimáſque fore certò ſcio. Sed hactenus Deus nobis adſit omnibus Amen. Anno poſt CHRISTUM natum M. D. LI. Ex freto Syncapurano.

FINIS LIBRI TERTII.

# S. P. FRANCISCI XAVERII
## *EPISTOLARUM LIBER IV.*
## EPISTOLA I.
### Societati, in Europam.

Summarium. *Mira Japoniæ: virtutis bellicæ æstimatio: Bonziorum religio: fabulæ de diis: Leges quinque præcipuæ: Bonziorum fallaciæ: acutæ de Deo interrogationes: molestissimus Japonū scrupulus de clementia Numinis erga se: usus orbiculorum ad preces, quibus sectarum invocantur auctores: Bonziorum fœneratitia in alteram vitam chirographa: in ipsis flagitiis auctoritas: commentitia de Beatorum sede mysteria: Regis Amanguciani violenta sui filiique occisio: Regis Bungensis in Indiam legatio: Regis Lusitaniæ in Societatem* JESU *munificentia. Banduensis Academia celeberrima: altera alterius sexûs scribendi ratio: domicilium Societatis JESU Amangucij extruendum: Neophytorum sedulitas; commiseratio erga consanguineos suos defunctos inferorum carcere conclusos. Descriptio Sinarum, ad quas omnibus religiosis Ordinibus aditum aperire nititur Xaverius, optátque Europæos laborum suorum pariter & gaudiorum consortes fieri.*

*Gratia & charitas D. N. &c.*


D XIII. Kalendas Septembris anni M. D. XLIX, in Japoniam omnes, Deo favente, salvi incolumésque pervenimus. Cangoximam appulimus, patriam comitum nostrorum: perbenignè sumus excepti cùm ab omnibus oppidanis, cum verò à Pauli Japonis Neophyti propinquis; qui omnes veritatis luce divinitus oblatâ, Paulo auctore facti sunt Christiani. Cangoximæ cùm essemus, oppidanos divinæ Legis cognitio (ut res erat illorum auribus nova) mirificè delectabat.

Japonia regio amplissima est, totáque insulis continetur: unâ omnino linguâ utitur, eáque non admodum difficili ad discendum. Reperta hæc regio est à Lusitanis annis ab hinc octo aut novem. Sunt Japones honoris ac dignitatis perstudiosi, séque armorum gloriâ bellicáque virtute omnibus nationibus præstare arbitrantur: quare gentes ceteras præ se contemnunt: arma in honore ac pretio habent, nulláque re magis, quàm armis, auro argentóve insignibus gloriantur. Gladios & pugiones perpetuò gestant tum domi tum foris: ubi cubitum discedunt, è cervicali suspendunt. Armis tantum tribuunt, quantum nulla alia natio, ex iis quas

ego

ego vidi. Sagittarii ſunt peritiſſimi: pedeſtribus ferè præliis contendunt; quamquam equis regio non caret. Inter ſe perofficioſi ſunt; cum advenis, quos contemnunt, non item. Rem familiarem in armis, cultu corporis, & ſervorum comitatu conſumunt, nihil omnino de coacervanda pecunia laborantes. Bellicoſi planè ſunt, & continenter bella inter ſe gerunt: ùt quiſque plurimùm viribus pollet, ita latiſſimè dominatur. Regem unum habent, tametſi annis ab hinc cẽtum quinquaginta ei Dynaſtæ parêre deſierunt, quæ perpetuorum eſt cauſa bellorum.

Magnus eſt his locis numerus tum virorum, tum feminarum, religioſam vivendi rationem profitentium, Bonzios & Bonzias appellant. Bonziorum duo ſunt genera; alii cineraceo utuntur veſtitu, alii nigro. Hos inter magnæ intercedunt ſimultates: ciněracei atratis infenſi ſunt vulgò, eóſque inſcitiæ arguunt atque improbitatis. Bonziarum totidem ſunt genera, partim cinereâ, partim atrâ veſte inſignes: Bonziis parent, ſui utræque generis & coloris. Bonziorum ac Bonziarum innumerabilis eſt in Japonia multitudo, ac planè incredibilis, niſi ei qui ipſe perſpexerit. Cognovi ex bonis auctoribus, Regulum eſſe in his locis, in cujus di-

tione cœnobia sint Bonziorum ac Bonziarum facilè octingenta capitum minimùm tricenorum; innumerabilia autem esse, ubi quaterni, seni octonique versentur: quod quidem ego, quantùm videre potui, facilè adducor, ut credam. Sectarum, quæ hic florent, ratio à Sinis ascita est; quæ gens est in continenti è regione Japoniæ. Hinc memoriam habent Japones litteris consignatam auctorum cujusque sectæ, qui bina, aut etiam terna annorum millia in solitudine voluntariis se pœnis afflixisse dicuntur. Horum principes numerantur Xaca & Amida. Disciplinæ vel virorum vel mulierum sunt omnino novem, legibus inter se institutisque diffidentes: liberum est cuique, ad eam quam maximè probet, animum applicare. Quare usu venit, ut sub iisdem tectis aliam sectam vir, aliam uxor, aliam liberi sequantur. Neque ea res ullas ferè turbas excitat, cùm liceat cuique, ut quisque velit, vivere. Verumtamen sæpe inter eos controversiæ & contentiones existunt, cùm suam quisque disciplinam reliquis anteferre conatur; atque etiam interdum venitur ad manus. De mundi atque animarum procreatione in hisce disciplinis omnibus mirum silentium. Omnes piorum atque improborum sedes nominant; nulla tamen ea-

rum,

rum, aut cujusmodi sit beatorum sedes, aut cujus imperio improborum animi ad inferos detrudantur, ostendit. Suos tantùm auctores prædicant, qui ut saluti consulerent hominum innumerabilium, nullis sua peccata pœnis expiantium, acerbissimos suâ sponte cruciatus subierint, maximéque diuturnos. Proinde confirmant, eos omnes, qui nullas suorum delictorum pœnas luerint, si sectarum suarum Principes conditorésque implorârint, ab omnibus incommodis liberatum iri; ita tamen, si magnâ ejus fiduciâ imploraverint, omnémque in eis spem reposuerint suam. Ac persuasum habent fore, ut vel ex ipsis inferis eorumdem deprecatione eripiantur. Sed hæ quas dixi disciplinæ innumerabiles fabulas, & mira quædam de suis institutoribus perhibebant, quæ longum esset exponere. Ex hisce sectis nonnullæ trecena, aliæ quingena præcepta continent; omnes tamen consentiunt, quinque præcepta esse præcipua, ac planè necessaria. Primum, non occidendum, nec occisum quicquam comedendum. Alterum, Non furandum. Tertium, Non mœchandum. Quartum, Non mentiendum. Postremum, Abstinendum vino. Atque hæ quidem leges communes sunt disciplinarum omnium. Sed Bonzii & Bonziæ de suarum

legum ratione verba facientes ad populum, ei persuaserunt, fieri non posse, ut profani homines urbanis negotiis implicati quinque illa præcepta servent. Proinde præstare se velle, quicquid propter earum legum negligentiam mali atque incommodi illis accidere possit, sub ea conditione, ut populus domicilia, cœnobia, reditus annuos, pecuniásque ad usus ipsorum necessarios curet, & scilicet honorem eis & cultum tribuat. Hæc si populus faciat, ipsos quicquid legum sit, pro populo servaturos. Quocirca viri primarii atque opulenti, ut majori peccandi licentiâ fruerentur, Bonziis postulata omnia concesserunt. Ita Bonzii apud Japones magnam habent venerationem; vulgóque persuasum est omnibus, eorum deprecatione animos evocari ab inferis; quoniam hoc Bonzii susceperunt, ut pro populo de legibus illis satisfaciant.

Concionantur Bonzii certis diebus. Concionum omnium caput est; Neminem è populo damnatum iri ad inferos, quamvis multa & deliquerit & delinquat. Suæ quippe sectæ auctorem eos, si fortè ad inferos relegati sint, è mediis suppliciis vindicaturum; præsertim verò si Bonzii, qui pro his satisfecerunt, deprecatores accesserint. Et verò Bonzii ipsi vulgò de sua sanctitate, quòd quin-

quinque illis legibus pareant, ad populum ſanè magnificè prædicant. Iidem autem negant, pauperibus (quippe qui benignè Bonziis faciendi careant facultate) ullam relinqui ſpem ex inferis emergendi. In eadem cauſa feminas eſſe dictitant, ſi quinque illa præcipua præcepta neglexerint. Singulas enim mulieres, propter menſtruorum fœditatem, pluribus peccatis eſſe coopertas, quàm viros univerſos: proinde tam tetrum animal haud facilè ſalvum eſſe poſſe. Hinc eò delabuntur, ut dicant, mulieribus quoque, ſi longè plura quàm viri in Bonzios contulerint, ſpem erumpendi ex inferorum carcere oſtendi. Illud etiam pro concione pronuntiant, eos qui pecuniam Bonziis dederint in vita, poſt mortem decies tantum, quantum dederint, eodémque nummorum genere accepturos, ad uſus videlicet illius vitæ neceſſarios. Nec deſunt multi, tum viri tum feminæ, qui magnam Bonziis vim nummorum ita credant, ut eam deinde decuplo cum fœnore in immortali illa vita exigant: quibus Bonzii ſedulò ſcilicet cavent chirographo ſuo. Nec dubitat imperita multitudo de multiplici illo fœnore pecuniæ creditæ: Bonziorum chirographa diligenter asſervant, eáque moribundi ſecum ſepeliri jubent: quippe eorum aſpectu diabolum fuga-

ri arbitrantur. Multas præterea fallacias intenduntBonzii,de quibus ſine dolore commemorare non queo. Illud feſtivum, quòd nummos eleëmoſynæ nomine accipiunt ab omnibus, ipſi omnino dant nemini. Miras conciliandæ pecuniæ vias norunt, quas ego, ne ſim longior, prætermitto. Quantum iſtiusmodi hominibus tribuat, quantum honorem habeat multitudo, ſine gemitu ac ſtomacho videre non poſſumus.

Sed ad res in Japonia geſtas redeo. Primùm igitur, ut ſupra demonſtravi, Cangoximam Pauli patriam applicuimus, ubi ille aſſiduis ſermonibus propinquos ſuos CHRISTO adjunxit, ac facilè omnem adjunxiſſet civitatem, niſi Bonzii obſtitiſſent. Perſuaſerunt enim Regulo longè ac latè, ut illis locis imperanti, ſi divinam Legem in regnum ſuum introduci ſineret, profectò non modò ditionem ejus univerſam, ſed cultum etiam deorum, majorúmque diſciplinam funditus eſſe interituram: proinde capite ſanciret, ne quis in poſterum fieret Chriſtianus. Itaque nos, exacto jam anno, cùm Regulus palàm Evangelii curſum impediret, Cangoximanis Neophytis, ac Paulo eorum cuſtode valere juſſis, inde in oppidum Amangucіani regni migravimus. Ibi compluribus ad CHRISTI cultum perductis, Coſmum

Turria-

Turrianum eis magistrum reliqui: ego cum Joanne Ferdinando Amangucium urbem regiam, eámque permagnam (quippe tectorum decem millibus, eóque ampliùs constat) ire perrexi. Ibi ad populum in triviis, ad Dynastas ac Principes civitatis in ipsorum ædibus Evangelium pronuntiavimus, à multis avidè, à nonnullis gravatè audiebamur. Nec intacti abibamus, sæpe puerorum ac multitudinis in viis effusam petulantiam experti. Rex ipse, cùm nos ad se ire jussisset, nostri adventûs causam sciscitatus, divinam sibi Legem exponi imperavit; nósque de religione verba facientes per horam integram diligenter audivit.

Verùm cùm fructus operis ac laboris Amangucii minùs constaret, Meacum (quæ urbs est Japoniæ princeps, ac sedes imperii) demigravimus. Mensibus igitur duobus in itinere positis, Meacum aliquando pervenimus, maximis laboribus periculísque perfuncti. Meacus olim, ut ferunt, familiarum millibus centum octoginta, hodie propter bellorum vastitates paulò ampliùs centum millibus constat. Ibi cùm nec aditus ad Regem patuisset umquam, & appareret Meacensium animos propter ingentes bellorum tumultus, à sermonibus de religione penitus esse alienos, confestim Amanguci-

um revertimus. Ac Rege litteris & muneribus ( quæ ex India & Malacâ ab Episcopo & Præfectis attuleramus ) delinito, haud ægrè ab eo impetravimus, ut edictis propositis declararet, placere sibi divinam Legem in suæ ditionis oppidis promulgari, eámque à suis popularibus, quibus probaretur, accipi. Is igitur cùm morem nobis gessisset, simul cœnobium assignavit ad diversandum. Hîc nos quotidianis concionibus atque concertationibus cum Bonziis, veneficis, aliísque istiusmodi hominibus, plurimos, atque in his aliquot nobili loco natos, ad CHRISTI Fidem adduximus. Ex horum numero idoneos homines nacti id egimus, ut Japonum sectas opinionésque cognosceremus, eásque conquisitis argumentis ac rationibus everteremus. Quare Bonzii, cùm se proditos à suis, & rationibus coram populo convictos viderent, ardebant dolore scilicet ac disrumpebantur; cùm præsertim qui se ad Christianorum numerum aggregarent, hanc vulgò afferrent susceptæ novæ religionis causam, quòd animadvertissent avitam religionem à Bonziis magistris haudquaquam posse defendi. Nihil omnino Japonicæ disciplinæ tradunt de mundi, Solis, Lunæ, stellarum, cæli, terrarum, maris, ceterarúmque rerum molitione: hæc enim omnia aliunde origi-

riginem habuisse non putant. Mirabantur autem vel maximè, cùm audiebant animorum unum esse communem Effectorem ac parentem, à quo sint procreati. Id adeò propterea obstupescebant omnes, quòd rerum omnium Conditoris in eorum disciplinis nullam omnino mentionem fieri constaret. Quòd si esset unum rerum omnium principium, profectò Sinas, à quibus ipsi religiones assumpsissent, non fuisse ignoraturos. Sinis quippe primas sapientiæ ac prudentiæ Japones deferunt omnibus in rebus, sive quæ ad religionem pertinent, sive quæ ad administrationem Reipublicæ. Itaque multa de hoc principio percontabantur, utrùm bonum esset, an malum: unúmne idémque principium bonorum & malorum. Respondebamus, unum esse principium, ídque summè bonum, sine ullius mali admistione. Hoc illis non probabatur; quòd diabolos naturâ malos, & humani generis hostes ducerent: proinde Deum, si bonus esset, nequaquam commissurum fuisse, ut res tam malas procrearet. Ad hæc nos referebamus, diabolos quidem procreatos à Deo bonos, sed suo vitio factos esse malos, atque ob eam causam sempiternis pœnis suppliciísque mactari. Tum illi objicere, profectò Deum, tam crudelem in animadver-

tendo, nequaquam esse clementem. Deinde si Deus hominum genus condiderit, uti nos doceremus, cur homines ad Deum colendum natos à diabolis exagitari tentaríque sineret? Jam si Deus bonus sit, haudquaquam homines tam imbecillos & ad peccandum proclives ab eo condi oportuisse; sed mali omnis expertes. Denique Deum bonum esse non posse, qui teterrimum illum inferorum carcerem ædificârit, nulláque umquam misericordiâ capiatur eorum, qui apud inferos atrocissimis suppliciis in omnem æternitatem crucientur. Postremò, si bonus esset, leges tam difficiles nequaquam fuisse hominibus daturum. At suis disciplinis tradi, eos qui disciplinarum auctores implorârint, vel ex mediis inferorum cruciamentis ereptum iri. Illud nullo modo concoquere poterant, homines ad inferos detrudi sine ulla omnino spe aliquando exeundi. Itaque suas disciplinas ajebant pietate atque clementiâ magìs nixas esse, quàm nostram. Hasce nos quæstiones demum ita Deo favente persolvimus, nullus ut in eorum mentibus scrupulus resideret. Omnino Japones ducem seqvuntur rationem ut qui maximè, vulgóque omnes usque eò curiosi ac molesti sunt in percontando, ut finem nullum faciant vel argumentandi, vel nostra

ſtra reſponſa cum aliis communicandi. Mundum rotundum eſſe neſciebant; nihil de Solis aſtrorúmque curſu cognôrant. Proinde hæc aliáque ejusmodi, veluti cometarum, fulminum, imbrium cauſas cùm interrogati aperiremus, avidiſſimè audiebant, mirificè delectabantur, nósque tamquam viros doctos ſuſpiciebant: quæ doctrinæ opinio aditum nobis patefecit ad religionem in eorum animis ſerendam. E novem ſectis, quæ in Japonia vigent, una dumtaxat mortales animos facit, quæ à ceterarum diſciplinarum ſtudioſis habetur deterrima. Ejus ſectæ homines nequiſſimi flagitioſiſſimíque ſunt, neque ullam inferorum mentionem ferre poſſunt. Amangucii menſium duorum ſpatio poſt multas interrogationes, ad quingentos homines ſacrâ aquâ luſtravimus, & ad hos quotidie, Deo bene favente, aliquot aggregantur. Neophyti, Bonziorum Japonicarúmque ſectarum nobis inſidias ac fraudes ſummo ſtudio enunciant, egregiámque erga nos benevolentiam atque obſervantiam præ ſe ferunt tantâ ſedulitate, ut eos confidamus eſſe veros germanósque Chriſtianos.

Amangucianos, ante ſuſceptum Baptiſmum, odioſus quidam ac permoleſtus ſcrupulus pungebat ac ſtimulabat: Non videri benignum & clementem Deum, qui Japonibus

nibus ante noſtrum adventum numquam ſe indicâſſet; præſertim verò ſi quicumque Deum non coluiſſent, uti nos prædicabamus, æternis erant ſuppliciis apud inferos cruciandi. Itaque majorum ſuorum omnium ſalutem deſertam ac proditam dicebant ab eo, qui commiſiſſet, ut miſeri illi ſalutaris veritatis cognitione fraudati, ad interitum ruerent ſempiternum. Hæc illos odioſiſſima cogitatio vel maximè à veri Dei cultu revocabat: verùm Dei beneficio error eis omnis & ſcrupulus exemptus eſt: primùm enim demonſtravimus, divinam Legem omnium eſſe antiquiſſimam. Siquidem antea aſcitas ab Sinis leges, Japones naturâ magiſtrâ ſciebant, nefas eſſe hominem occidere, furari, pejerare, itémque alia, quæ decem illis divinis Legibus continentur. argumento eſſe, quòd ſi quod ejusmodi ſcelus admiſiſſent, conſcientiæ ſtimulis torquerentur. Jam rationem ipſam docere, fugiendum malum, ſequendum bonum: ídque naturâ inſitum eſſe in animis hominum, ſic prorſus, ut divinæ Legis notitiam omnes à natura naturæque auctore Deo habeant, priuſquam accedat diſciplina. Id adeò ſi dubium videretur, experiri in aliquo licere, qui diſciplinæ omnis expers in monte aliquo ac ſolitudine ſit educatus ſine ulla patriarum legum cognitio-

gnitio-

gnitione. Nimirum hujusmodi hominem, omnis humanæ diſciplinæ rudem atque ignarum, ſi interrogaretur, utrùm hominem occidere, furari, ac cetera ejusmodi, quæ divina Lex vetat, peccata eſſent nec ne; num ab iſtiusmodi rebus temperare rectum eſſet; profectò inquam hominem illum humanæ diſciplinæ funditus ignarum ita ad hæc reſponſurum, ut facilè appareret, minimè eſſe divinæ Legis expertem. Unde igitur illum eam notionem hauſiſſe exiſtimandum, niſi ab ipſo conditore naturæ Deo? Quod ſi in barbaris hominibus id cernatur, quid in humanis nationibus ac politis futurum? Quæ cùm ita ſint, neceſſariò effici, ante leges omnes ab hominibus latas, divinam Legem in animis hominum innatam extitiſſe. Hæc eis ratio ita probata eſt, ut planè acquieſcerent, atque hiſce laqueis expediti, ſuave Domini jugum facilè ſubirent.

At Bonzii ſunt nobis offenſiores, quòd eorum mendacia redarguimus. Hi, uti diximus, ſuadebant populo, quinque illa præcepta vulgò ſervari non poſſe; quare ipſos pro populo ſervaturos, eâ lege, ut cultus eis victúsque tribueretur. Spondere ſe, ſi quis eorum ad inferos deſcendiſſet, eum ſuâ ope atque operâ evaſurum. Nos contra populo demonſtrabamus, *in inferno nullam eſſe*

*redem-*

*redemptionem*, neque quemquam per Bonzios aut Bonzias posse liberari. Itaque rationibus convicti, se à Bonziis deceptos esse querebantur. Quin etiam ab ipsis Bonziis demum, Deo adjuvante, confessio expressa est veritatis: nimirum non posse se à quoquam inferorum supplicia deprecari; sed nisi se id posse prædicarent, sibi enimverò fame esse moriendum. Itaq; haud ita multò post Bonzii, deficientibus paulatim studiosorum suorum subsidiis, magnas rerum domesticarum difficultates vitæq; dedecora subierunt. De inferis tam graves inter nos & Bonzios contentiones extitêre, vix ut umquam nobiscum in gratiam redituri videantur. Illorum jam disciplinam multi deserunt, atque ad vitam revertuntur urbanam. Hi Bonziorum in cœnobiis versantium fraudes atq; insidias enuntiant nobis. Quocirca Amangucii quidem Bonziorum Bonziarúmque auctoritas valde in dies obteritur. Affirmant mihi Christiani, ex centum Bonziorum Bonziarúmque cœnobiis, quæ erant Amangucii, complura civium eleëmosynis destituta brevî esse interitura.

Antiquitus quidem Bonzii ac Bonziæ, qui unam aliquam è quinque illis legibus neglexissent, à Regulis ac Dominis oppidorum, ubi versarentur, morte scilicet mul-

tabau-

tabantur: ſive quis eorum flagitium, furtum, mendacium admiſiſſe, ſive hominem aliúdve animal occidiſſe, aut comediſſe, ſive bibiſſe vinum convinceretur. Nunc verò relaxata planè eſt diſciplina atque corrupta: nam plerique potant vinum, carne veſcuntur clanculum, mendaciis ſtudent, mœchantur palàm; vulgò pueros habẽt apud ſe, quorum ætatis flore abutuntur. Idque ipſi profitentur, ac peccatum nullum eſſe prædicant: quare populus Bonziis auctoribus à tam nefario flagitio non abſtinet. Sic enim vulgò dictitant, ſi Bonziis id liceat, quidni hominibus liceat profanis? Huc accedit, quòd alunt in cœnobiis ſuis Bonzii feminas complures, quas colonorum ſuorum uxores eſſe dicunt. Ea res in offenſionem incurrit multitudinis, tantam Bonziorum cum mulieribus conſuetudinem ſuſpectam habentis. Bonziæ quoque omnibus horis à Bonziis adeuntur, officij causâ, eóſque viciſſim adeunt: at populus id malam in partem interpretatur. Ferunt herbam eſſe, quam Bonziæ eſitent, ne gravidæ fiant. Equidem tot ac tantis Bonzios flagitiis coopertos eſſe non miror: genus enim eſt hominum diabolum in Dei loco habentium, qui innumerabilia ac nefaria flagitia admittant, neceſſe eſt.

Utuntur Japones omnes ad preces ſerie

quadam

quadam orbiculorum bene longâ, atque inter orandum gradatim ad ſingulos orbiculos ſuæ ſectæ implorant auctorem. Hanc autem, quam dixi, precum ſeriem percurrunt alii crebriùs, alii rariùs. Principes ſectarum auctores (ut oſtendimus) Xaca & Amida numerantur: Bonzii ac Bonziæ cineracii coloris, & maxima populi pars Amidam; reliqui tametſi Amidam non aſpernantur, tamen Xacam præcipuè colunt. Sciſcitatus ſum diligenter, an hi, quos dixi, Xaca & Amida homines fuerint aliqui ſapientes, atque obſecravi Chriſtianos, ut eorum vitas mihi perſcriberent. Denique comperi ex eorum libris, illos haudquaquam homines fuiſſe: quippe milleſimum, aut etiam bis milleſimum annum expleviſſe dicuntur: Xaca autem octies millies natus perhibetur: aliáque ejusmodi permulta de illis memoriæ prodita ſunt, quæ fieri nullo modo poſſunt. Itaque ſic ſtatuo, eos non homines, ſed mera diaboli fuiſſe portenta.

Oro, quæſóque eos omnes, qui haſce meas litteras lecturi ſunt, pro ipſorum ſtudio divini cultûs amplificandi, ut victoriam nobis adverſùs duos hoſce diabolos Xacam & Amidam, & reliquos horum ſimiles à CHRISTO Domino precentur; cùm præſertim jam non ſine Dei numine eorumdem auctori-

ctoritas Amangucii consenescat. Dynasta hujus regni primarius, unà cum uxore femina lectissima, nos complexus est sic, ut amborum studia nobis ad divinæ religionis propagationem numquam defuerint: verùm neuter, ut religionem quamvis exploratam susciperet, adduci potuit: ídque idcirco, quòd multa Bonziorum cœnobia suo sumptu ædificârant, vectigalibúsque instruxerant, quò Amidam, quem superstitiosè colunt, orarent assiduè, ut eos ab hujus vitæ calamitatibus atque incommodis prohiberet: atque ad eam, quâ ipse perfruitur, felicitatem aliquando traduceret. Hi causas, cur Christiani non fierent, plurimas afferebant; illam potissimum, quòd dicerent, egregios se Xacæ & Amidæ semper cultores extitisse, eorúmque causâ, & plurima largitos esse Bonziis, & sedes ac domicilia excitâsse: si jam ad CHRISTUM sese transferrent, gratiam tot annorum officiis collectam, omnémque superioris vitæ fructum utique perdituros. Pro certo habent se, quicquid pecuniæ Xacæ & Amidæ nomine Bonziis dederint, post mortem cum maximo fœnore recepturos, ac præterea cultûs pietatísque suæ fructum amplissimum: quæ scilicet ne amitterent, ad CHRISTUM transire noluerunt.

Persuasum habent Japones, in illa bea-

torum ſede epulas cultúmque vitæ ſuppetere cum elegantia & copia: atque ut quisque apud Xacam & Amidam maxima in gratia fuerit, ita apud omnes in maxima gloria futurum. Hæc omnia commentitia ſunt myſteria Bonziorum, qui nobis concionantibus obtrectandi ſtudio, in ſuis fanis concionabantur, & magnâ auditorum frequentiâ nobis pariter Deóque noſtro turpiſſimè maledicebant. Chriſtianorum Deum eſſe ignotum quiddam & inauditum; fieríque non poſſe, quin maximus ac teterrimus dæmon eſſet: ejus nos dæmonis eſſe diſcipulos: proinde caverent, ne CHRISTI ſacra ſuſciperent: ſimul atque enim ille pro Deo coli cœptus eſſet, Japoniam interituram. Dei quoque nomen cavillantes interpretabantur, Deum nihil aliud eſſe, niſi Dajum, quod verbum ipſorum linguâ mendacium ſignificat: itaque apud ſe eſſent, ſibîque à nobis caverent diligenter. Hæc atque alia multa impia maledicta conferebant in Deum; quæ tamen ille pro ſua clementia ac benignitate infinita, in honorem ſuum ſalutémque hominum vertit. Etenim illorum in nos maledictis, & noſtra apud populum auctoritas, & CHRISTUM colentium numerus in dies augebatur. Intelligebat quippe multitudo, ídque palàm dictitabat, per

invi-

invidiam à Bonziis in nos illa jactari.

Diu ac multùm in Japonia elaboravi, ut omnibus vestigiis indagarem, ecquando Japonii JESU CHRISTI notitiam habuerint: demúmque ex eorum litteris ac sermone comperi, nihil omnino eos de CHRISTO inaudisse. Cangoximæ, ubi annum commorati sumus, animadverti Regulum ejúsque cognatos albam crucem in familiæ insignibus habere, sed tamen CHRISTI nomen funditus ignorare.

Amangucii cùm essem simul cum Cosmo Turriano & Joanne Ferdinando, Rex Bungensis potens in primis me per litteras rogavit, ut se convenirem: Lusitanam navem ad suum portum appulisse; cupere se certis de rebus mecum communicare. Itaque confestim, vel ut ejus erga CHRISTI Fidem animum explorarem, vel ut Lusitanos inviserem, Bungum profectus sum, Cosmo & Joanne apud Christianos relictis. Rex me liberaliter accepit: ego magnam ex Lusitanorum congressu cepi voluptatem. Dum Bungi commorarer, magnum Amangucij bellum diabolus excitavit. Dynasta potens opibus Regem suum bello illato urbe exegit, regnóque spoliavit. Ibi Rex cùm fugæ exitum nullum reperiret, ne vivus in acerbissimi hostis, qui in sua modò ditione

ac po-

ac poteſtate fuiſſet, manus perveniret, pugione in ventrem adacto, necem ſibi conſcivit; ſimul filium, quem apud ſe habebat, interfici, atque utriusque corpus comburi juſſit, ne quam omnino materiam injuriæ hoſtes invenirent. Idque uti imperaverat, factum eſt. Quantum illo bello noſtri, qui erant Amangucij, capitis diſcrimen ſubierint, ex iis litteris, quas ad me ab illis ſcriptas vobis mitto, facilè intelligetis. Poſt Amanguciani Regis interitum, regni Proceres ac Dynaſtæ gravi perfuncti bello, cùm viderent rem Amangucianam ſine Rege ſtare non poſſe, legationem ad Bungi Regem miſerunt, ut fratrem ſuum germanum Amangucium mitteret, quem ipſi Regem conſtituerent. Rex ſcilicet morem eis protinus geſſit: ita ille regnum adeptus eſt Amangucij. Bungenſis Rex magnis ſanè bellicoſiſſimorum hominum copiis inſtructus (ut eſt captus Regum Japonicorum) admodum imperat latè. Luſitanorum nomen mirè diligit. Itaque ut de Luſitani Regis opibus ac moribus cognovit; petiit ab eo per litteras, ut ſe in amicorum ſuorum numerum adſcriberet; eíque thoracem amicitiæ obſidem miſit. Ad Proregem quoque Indiæ certum hominem allegavit, qui ſuam illi amicitiam, ſocietatem, ſtudium prolixè defer-

deferret. Is legatus mecum devectus in Indiam, honorificè & perliberaliter à Prorege tractatus est. Ac Bungi Rex ante meum ex Japonia discessum, Lusitanis ac mihi recepit, se cum Amangucii Rege fratre suo acturum, ut Cosmum Turrianum & Joannem Ferdinandum amplecteretur. Idque ipse Amangucianus Rex designatus nobis promisit, simul atque in regni possessionem pedem posuisset, se esse facturum.

In Japonia quamdiu fuimus (fuimus autem annos duos & dimidiatum) facultatibus munificentissimi Lusitaniæ Regis sustentati sumus: is enim in Japonicam profectionem aureos ampliùs mille assignari nobis eleëmosynæ nomine imperavit. Incredibile est quantùm nobis Rex optimus faverit, quantósque sumptus in nostra Collegia, domicilia, necessitates fecerit, quotidiéque faciat. Bungi aliquamdiu commoratus eram, cùm Lusitanæ navis opportunitate invitatus, omisâ Amangucianâ reversione, statui è Bungo in Indiam solvere, ut Socios ac Fratres tanto intervallo reviserem; & Socios ad Japonis culturam idoneos, aliásque res necessarias, quarum ibi magna est inopia, curarem. Cocinum applicui IX. Kalendas Februarias; ubi à Prorege perhumaniter sum acceptus. Aprili mense proximo aliquot ex In-

ex India Patres in Japoniam mittentur, quibuscum Bungensis Regis legatus domum est rediturus. Magna me spes tenet, copiosissimam, CHRISTO favente, illis in locis messem futuram: nam ex gente ingeniosa, moderata, discendi avida, rationem ducem sequente, aliisque præterea laudibus cumulata, tamquam ex agro opimo ac fertili, necesse est uberes ac lætas fruges existere.

Banduensis Academia est in Japone insula (quæ regioni nomen dedit) sanè celebris, quò maxima Bonziorum multitudo confluit ad suas leges cognoscendas. Hæ ab Sinis ascitæ Sinarum consignatæ sunt litteris, quæ longè differunt ab Japonicis. Duplex est autem in Japonia litterarum genus; alterum virorum, mulierum alterum: maximam partem tum viri tum feminæ, præcipuè verò nobiles ac mercatores litteras nôrunt. Bonziæ puellas in suis cœnobiis; Bonzij pueros litteras docent: quamquam viri nobiles ac locupletes ferè domesticis magistris liberos suos tradunt in disciplinam. Bonzij acerrimis sunt ingeniis, rerum futurarum maximè se commentationi dedunt; quid ipsis futurum sit, quem sint exitum habituri, & alia generis ejusdem cum animis suis considerant. Ex horum numero multi erant, qui suis commentationibus eò demum dela-

delabebantur, ut putarent in ſuis diſciplinis nihil eſſe præſidii ad animorum ſalutem. Sic enim ſecum ratiocinabantur: Omnino oportere unum rerum omnium eſſe principium. Ejus nullam in ſuis libris fieri mentionem: (nam de hujus univerſitatis molitione mirum apud omnes ſilentium eſſe) profectò ſi qui hujuſce principii olim cognitionem acceperint, eos, quòd nulla litterarum vel hominum auctoritate confirmare poſſent, ſibi habuiſſe, celaſſe poſteros. Itaque hoc genus hominum divina Lex maximoperè delectabat. Quo ex numero unus CHRISTO ſe adjunxit Amangucii, qui complures annos in Banduenſi Academia verſatus, doctrinæ laude florebat. Is ante noſtrum in Japoniam adventum Bònzius fieri cogitabat; at poſtea, mutato conſilio, duxit uxorem. Ejus rei hanc ipſe cauſam afferebat: quòd Japonicas religiones falſas atque inanes eſſe intelligeret; atque idcirco nullam eis fidem haberet: ab ſe autem mundi Opificem ac molitorem coli oportere. Hujus acceſſione ſanè gaviſi ſunt Chriſtiani; quippe cùm totius civitatis doctiſſimus & eſſet, & haberetur.

Poſthac in Japoniam novi quotannis Socii (ſi Deo cordi erit) ſubmittentur, & Societatis domicilium Amangucij conſtituetur;

ubi Patres linguam addiscant vernaculam, & cujusque sectæ opiniones atque instituta co-gnoscant. Ita fiet, ut qui istinc è Societate venturi sunt, Banduensis Academiæ juvandæ causâ, Socios ibi reperiant Japonicæ linguæ ac religionis peritos. Quæ res maximo utrique erit adjumento Europæis Patribus, quibus Japonica provincia obvenerit. Cosmus Turrianus, & Joannes Ferdinandus in præsentia toti sunt in Christianis mysteriis enuntiandis, & sermonibus de præclaris CHRISTI facinoribus habēdis ad populum. Ac multi eorum ita ejusmodi rerum commemoratione afficiuntur, ut CHRISTI cruciatus necémque fletu ac lacrymis prosequantur. Cosmus nostrati linguâ scribit conciones; eas deinde Ferdinandus, patriæ ipsorum linguæ satis gnarus, convertit Japonicè. Horum operâ Christiani magnos in pietate processus habent. Neophyti enim, qui olim suos illos calculorum ordines ita precibus decurrebant, ut singulatim insistentes suæ quisque sectæ parentem nominatim invocarent; nunc CHRISTI colendi rationem edocti, ad pietatem conformantur, ut avitas superstitiones convertant in Dei cultum. Usque adeò autem seduli sunt in hoc genere & curiosi, ut cùm se cruce signare docentur, requirant quid sibi velit,

ſit, In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti. Quid ſit cauſæ, cur dextrâ primùm ad caput ſublatâ, dicatur, *In nomine Patris*, deinde ad pectus demiſsâ, addatur, *Et Filij*; poſtremò à dextro humero ad ſiniſtrum traductâ, adjiciatur, *Et Spiritûs ſancti.* Quarum rerum explanatione mirificè delectantur. Ubi *Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon* dicere jubentur, horum verborum ſignificationem exquirunt. Sub hæc, B. Virginis roſaria ita decurrunt, ut ad orbiculos minores Salutatione Angelicâ recitatâ, JESU & MARIÆ nomen identidem implorent. Haſce autem, ac reliquas precationes, itémque Symbolum, paulatim ediſcunt ex ſcripto.

Unum eſt, quod Japonum animos pungit & cruciat vehementer; Quòd inferorum carcerem undique clauſum ad exitus eſſe à nobis acceperunt, nullâ ut ope quisquam inde eripi queat. Dolent videlicet liberûm extinctorum, parentum, propinquorum, majorúmque ſuorum vicem, & dolorem lacrymis declarant ſuum. Itaque percontantur à nobis, ecqua ſpes ſit, ecqua ratio æternam ab illis miſeriam deprecandi. His ego ſcilicet ita reſpondeo, ut negem omnino. Hæc eos cura mirandum in modum angit atque ſolicitat; ſic prorſus, ut dolore propè tabeſcant. Verùm in eo malo hoc

ineſt boni, quòd ſpes eſt fore, ut hoc magis de ſua ſalute laborent, ne item uti ipſorum majores, ſuppliciis damnentur æternis. Rogitant etiam, Num eos Deus eripere poſſit ab inferis: cur tandem eorum cruciatus nullum ſit finem habiturus. Ad hæc ſatis eſt reſponſum à nobis. Verumtamen illi ſuorum calamitatem deplorare non deſinebant; ut ego lacrymas tenere vix poſſem, cùm cernerem homines mihi amiciſſimos intimis angi ſenſibus, propter rem ejusmodi, quæ acta jam eſſet, nec in integrum revocari ullo modo poſſet.

E regione, JaponiæSinarū regio eſt ampliſſima, eadémq; pacatiſſima, & (quod ex Luſitanis negotiatoribus cognovi) omnibus etiam Chriſtianorū regnis juſtitiæ & æquitatis laude præſtans. Sinæ, quos tum in Japonia, tum aliis in locis vidi, atque odoratus ſum, colore ſimiliter, ut Japones albi ſunt, acutique & diſcendi cupidi: magnitudine autem ingenii etiam Japones ipſos facilè vincunt. Terra porrò omnium rerum copiâ circumfluit, plurimis maximiſque urbibus frequentata; & urbes celeberrimæ, ac tectis lapideis ad elegantiam exornatæ. Conſtans eſt fama, regionem eſſe opulentam, & cum ceteris rebus, tum verò ſerico abundantem. E Sinis ipſis cognovi, multos inibi eſſe multarum

natio-

nationum atque ſectarum: & quantum ex eorumdem ſermone colligere potui, Judæos ibidem & Saracenos eſſe ſuſpicor. De Chriſtianis quod ſuſpicer, nihil habeo. Spero me hoc anno M. D. LII. eò transmiſſurum, atque ad Sinarum regem penetraturum. Omnino regnum eſt ejuſmodi, ubi Evangelium ſi ſatum ſit, longè ac latè propagari queat. Atque etiam, ſi Chriſtianam religionem Sinæ probaverint, utique Japones quoque religiones ab eis accerſitas omittent. Diſtat Japonia à Liampo, quæ urbs eſt Sinarum præcipua, trajectu millium paſſuum circiter CCC. Maximam in ſpem ingredior fore, ut Deus januam aditúmque in Sinas non ſolùm noſtræ Societati, verùm etiam religioſis omnium Ordinum familiis aliquando patefaciat, ut piis ſanctíſque cujusque generis hominibus campus aperiatur, ubi præclarus pietatis ardor exiſtat, in perditis hominibus ad veritatis ſalutíſque viam revocandis. Quare omnes, qui Chriſtianæ religionis amplificandæ ſtudio tenentur, etiam atque etiam rogo, ut ſuis ſanctis ſacrificiis ac precibus meos hoſce qualescumque conatus juvent, quò regionem ejuſmodi aperiam, ubi pia ipſorum excurrere poſſit induſtria.

De India quod ſcribam nihil eſt: iis enim,

qui ibi sunt, Sociis datum hoc negotium est, ut quæ ibi gerantur, vos faciant certiores. Huc ego nuper ex Japonia remigravi: corporis vires satis magnas retuli; virtutis ac spiritûs propè nullas: sed spem omnem in Dei benignitate & immortalibus CHRISTI Domini promeritis sitam habeo, ut laboriosissimum hoc Sinarum iter conficiam ex sententia. Etsi enim jam usquequaque canus, tamen ita sum valens ac robustus, ut numquam magis. Nimirum labores in excolenda gente moderata, veritatísque ac salutis suæ cupida rectè positi, magnos jucunditatis fructus afferunt. Vel Amangucij, cùm, potestate Evangelii prædicandi ab Rege facta, maximi ad nos audiendos concursus fierent, tantum cepi vitæ fructum, tantámque animi lætitiam, quantā antea numquam. Videbam enim Bonziorum spiritus per nos frangi à Deo, præclarámque de acerbissimis hostibus victoriam reportari. Rursus videbam Neophytorum tum ex convictis Bonziis gaudia, tum incensa studia in oppugnandis Ethnicis, atque ad Baptismum perducendis, tum verò exultationem in victoria pugnísque suis inter se commemorandis, fusâ profligatáque superstitione barbarorum. Hisce ego rebus tantâ animi voluptate circumfluebam, quæ omnem ærumnarum

rum

rum sensum obrueret. Vtinam, ut hæc solatia cælestia nobis (quæ divina benignitas est) in mediis laboribus impertita hîc à me narrantur, ita eorum specimen aliquod non modò ad audiendum, sed etiam ad gustandum Europæ Academiis mitti posset! Istorum profectò studiosorum adolescentium complures ad Ethnicorum conversionem suas curas omnes ac studia conferrent, si semel gustâssent cælestis lætitiæ voluptatem, quæ ex ejusmodi laboribus manat. Quod si vulgò exploratum esset atque perspectum, quàm parati sint Japonum animi ad Evangelium accipiendum, nimirum & viri docti permulti suis studiis finem imponerent, & Canonici, Sacerdotes, ipsíque Antistites sua quamvis ampla & opima Sacerdotia relinquerent, ut acerbam vitam ac molestam commutarent cum verè jucunda ac suavi; atque ejus consequendæ gratiâ haudquaquam gravarentur in Japoniam usque navigare.

Quoniam Cocinum attigi eo ipso tempore, quo naves profectionem parabant; amicorum autem salutantium frequentia hanc epistolam sæpiùs interpellavit; raptim hæc scripsi, atque perturbatè. Itaque finem scribendi faciam; etsi finem facere non possum, cùm ad charissimos Patres meos Fratrésque scribam, & de Japonibus meis deli-

ciis ſcribam, de quibus omnia perſequi, ut maximè velim, nullo modo poſſim. Quare finem epiſtolæ impono, Deum orans atque obſecrans, ut nos in cæleſti beatitudine aliquando conjunctos velit. Amen. IV. Kal. Februarias. M. D. LII. Cocino.

## EPISTOLA II.

### M. Simoni Roderico, in Luſitaniam.

Summarium. *Edocet quas dotes requirat in Sociis deſtinandis in Japoniam: Belgas Germanósque expetit: de mittendis Ignatium, quem beatum vocat, admoneri cupit. Deſcribit corporis & animi incommoda apud Japones ſubeunda: rogat ut non niſi delectos in Indiam ſubmittat, nec niſi ſtudiorum curſu confecto. Preces flagitat, ut iter in Sinas aliis aperiat, quaſi ipſe nihil agat.*

*Gratia & Charitas D. N. &c.*

DE Japonia quædam ſunt, quæ te ſcire volo, ut cujusmodi deſideret illa cultores, intelligas. Primùm igitur ad hanc gentem Evangelio ſubigendam viros deligi oportet expertos, & in ærumnis periculíſque ſpectatos. Siquidem in Banduenſi reliquíſque Academiis maxima eos certamina & vexationes manent Bonziorum. Iterum dico

dico eos vehementer exagitatum iri, adeò ut periculum ſit, ne ipſi pereant, dum alios ſervare ſtudent, niſi magnitudine animi & Dei fiduciâ excellant. Omnino ſumma eis frigora perferanda erunt: nam Bandua multò magis ad Aquilonem quàm Amanguciuma vergit: inedia etiam toleranda; alimenta enim præter oryzam, olera, & alia quædam ejusmodi, ſunt ſanè levia. Proinde res ipſa, ut vides, viros non modò eximiâ animi virtute, verùm etiam egregiâ conſtitutione corporis præditos flagitat. Belgas aliquot, & Germanos, quippe frigoribus atque ærumnis aſſuetos, huc mittas cenſeo, qui ſcilicet procul à patria, alienæ linguæ expertes concionibus abſtinent; cujusmodi hominum non parva copia in Italia, Hiſpania, Gallia eſt. Eosdem in argumentationibus concludendis, captiosisque rationibus ſolvendis, exercitatos eſſe ſanè velim, ut ſatis inſtructi ſint ad Bonzios, quorum auctoritate Academiæ nituntur, palàm convincendos, ſic ut pugnantia loqui cogantur. Hinc Amangucium quidam mittentur, eo conſilio, ut Japonicam linguam addiſcant, & ſimul gentis ſenſus & errores odorentur, interea dum egregii aliqui viri è Societate illò veniant, qui ſumptis inde peritis comitibus atque interpretibus, Academias adoriantur;

& quamvis rudes ipſi Japonicæ linguæ, tamen pugnam capeſſant per interpretes, quoad ipſi patrio gentis ſermone ſatis inſtructi, cominus ineant certamen cum Bonziis. Tu velim Beatum P. N. Ignatium per litteras certiorem facias de iis, qui in Japonicas Academias ſunt ituri.

Ex omnibus Japoniæ partibus plurimi ad Banduenſem Academiam doctrinæ causâ confluunt: inde domos reverſi docent populares ſuos ea quæ didicerunt. Bandua, ut accepi, urbs eſt longè maxima ac celeberrima; cives non nobilitate ſolùm, ſed etiam bellicâ virtute clari, etſi non deſunt inter eos viri & mites & boni. Hæc de Banduenſi Academia comperi: ſimiles reliquas eſſe conjicio. Da operam, quæſo te, ut ſpectatæ probitatis ac modeſtiæ Socios huc ſubmittas.

In Japoniam profecturi (ut præcipuas difficultates nominatim deſcribam) ubi in aliquam venerint Academiam, aſſiduè aliis ex aliis certaminibus & percontationibus urgebuntur: ludibrio erunt vulgo, atque omni irriſione ludentur: nullum meditandi contemplandíque res divinas otium, nulla Sacri faciendi, præſertim Banduæ & Meaci facultas erit: vix ac ne vix quidem ſpatium divini officij recitandi. Tantâ indigenarum

fre-

frequentiâ diverſorium celebrabitur, partim viſentium, partim percontantium, partim ad viros nobiles accerſentium, qui nullam omnino accipiant excuſationem. Quid multa? tam multi omnibus horis moleſti intervenient, ut ne curandi quidem corporis, cibíque ac ſomni capiendi ſpatium ſit futurum. Satanas porrò mirificas inſidias ſtruet. Qui autem ſtatis ad divina contemplanda temporibus, ſacrorum pſalmorum lectione, & , quod caput eſt, ſacroſanctæ Euchariſtiæ fructu carent; ſi præſertim accedat illa Bonziorum inſectatio, maximorum frigorum incommoda, alimentorum exiguitas ac difficultas, humani ſolatij atque auxilij deſperatio, qui tot, inquam, tantorúmque molem incommodorum ſubituri ſunt, profectò eximiâ quadam virtute polleant neceſſe eſt. Proinde mittendorum in Japoniam quàm accuratiſſimè delectum habebis. Nam nec ſenes idonei ſunt, quòd corporis viribus, nec adoleſcentes, quòd rerum uſu careant. Ac mihi crede, multorum, qui nomen in Japoniam daturi ſunt, ardorem ac virtutem ſatis ſupérque ibi ſpectatum iri: eoſdem autem cæleſtibus gaudiis mirandum in modum abundaturos, ſi ærumnas ac labores fortiter perferent, & divinâ ope ac gratiâ, quæ in maximis difficultatibus copioſiſ-

piosissimè suppeditatur, utentur ad victoriam de sempiterno hoste referendam.

Iterum te oro, Frater charissime, ut quos in Indiam è Societate submittes, ejusmodi viri sint, qui vel pauci magno usui esse queant. Etenim cùm tot sint in Europa sedes Societatis, bini certè quotannis ex singulis domiciliis deligi possunt ad concionandum nati, qui exemplo etiam magis quàm doctrinâ hominibus prosint. Istiusmodi enim viris India vel maximè indiget. Patribus istinc venientibus præcipias velim, ne quem ex vectoribus in Societatem asciscant: nam si qui asciscendi essent in India, ut hîc bonis litteris studerent; profecto ij dumtaxat viderentur, qui præclaræ jactis doctrinæ virtutísque fundamentis, huc se ad absolvenda studia conferrent. Multos sanè istic Collegiis excluditis, quos satiùs esset huc amandari, quàm hîc ejusmodi homines recipi in nostrorum numerum, qui legere & scribere tantùm sciant. Commodissimum autem esset, istinc neminem, qui non studiorum cursum confecerit, huc venire; hîc nullum omnino adscribi in Societatem, præter domesticis muneribus necessarios. Nam hîc quidem studiorum ratio lentum negotium: qui student, post multos demum annorum anfractus apti erunt ad conciones habendas, audien-

audiendas confeſſiones, Societatem & indigenas juvandos. O mi Simon, Deus nos in cæleſti patria copulet, quando ejus causâ adeò diſtracti vivimus in terris. Quamquam, quid ſi nos in Sinarum regno reviſamus? Dequid Dominum noſtrum, quæſo te, ſuppliciter deprecare, ut mihi facultatem det iter in Sinas aperiendi aliis, quoniam ego ipſe nihil ago. Oræ Piſcariæ negotium, de quo Henricus Henriques ad te ſcripſit; de Præfecto, inquam, cura ut apud Regem conficias: ſiquidem ad rem Chriſtianam pertinet plurimùm. v. Non. Januarias. M. D. LII. Cocino.

## EPISTOLA III.

### Joanni Roderico, Armuziam.

Summarium. *Salubres admonitiones, ne divinæ gratiæ officiat: ut meminerit ſe hominem Societatis, quâ ipſe magis egeat quàm ipſo Societas. Præpoſitis Eccleſiaſticis religiosè obſequatur: ſolidi Concionatoris partes expleat.*

*Gratia & Charitas D. N. &c.*

EGo verò libentiùs te viderem, quàm ad te ſcriberem: multa enim ſunt, quæ commodiùs coràm, quàm per litteras tranſiguntur. Aveo ſcire, iſtic quid proficias, aut potiùs

potiùs quid per te efficiat Deus: quid ipse divinis conatibus efficias. Nostram quippe incuriam ac nequitiam semper apud Deum accusare debemus: siquidem nostro vitio fit, ut ille minus nobiscum suarum opum communicet, minúsque aliis per nos lucis suæ ostendat, non sine divinæ gloriæ impedimento: quod contrà accideret, si tales essemus, quales nos esse oporteret. Id adeò nos semper memoriâ tenere par est, ejusmodi rerum severè admodum Deo reddendam esse rationem. Oro te, Frater charissime, néve ad communis urbanæque vitæ consuetudinem delabaris, néve singularem quamdam, remotámque à Societatis instituto rationem sequaris. Utrumque enim vitium magno nostris hominibus est detrimento; ne scilicet aut parum de virtutis atque instituti absolutione laborent, aut superbiâ elati, tantos spiritus tantámque arrogantiam sumant, ut haudquaquam ferendi esse videantur. Ad modestiam autem submissionémque animi retinendam illa nobis cogitatio saluti erit, multò magis nos Societate, quàm Societatem nobis indigere: qui sui immemor sit, aliorum salutariter memorem esse non posse.

Amicum utique te semper & obsequentem Episcopi Vicario præbebis. Concionibus,

con-

confeſſionibus, Sacramentorum adminiſtrationi, ad ejus arbitrium operam dabis: neque ulla de cauſa ullam cum eo ſuſcipies ſimultatem; ſed perpetuam ei benevolentiam obedientiámque præſtabis. Sic enim fiet, ut & noſtrorum hominum amicior ſit, & in noſtris conatibus juvandis diligentior. Eamdem etiam cum reliquis Sacerdotibus regulam tenebis, ut neminem contemnas, nemini te anteponas, ſed omnibus præbeas exemplum obedientiæ, ut documento ſis, quemadmodum ipſos Præpoſitis Eccleſiaſticis parere oporteat. Neque enim te fallit, Concionatorum plus proficere exempla, quàm verba. In concionibus porrò cavebis diligenter, ne quem omnino nimiâ orationis libertate perſtringas; neu ſubtiles concinnásque ſententias conſecteris, ſed morales potiùs ac ſalutares. Dabiſque operam, ut ea quæ dices, dicentis pietate, ſubmiſſione animi, modeſtiâ commendentur. Publica peccata publicè, occulta ac privata privatim reprehendes. Sic enim tibi perſuadeas velim, pluris eſſe exiguum fructum ſine cujuſquam offenſione, quàm permagnum cum offenſione multorum. Hoc ego eò ad te ſcribo, quòd quanti tandem id referat, planè intelligo. Quæ præcepta iſthuc Gaſpar Belga ſecum attulit, ea tu quoque accuratè ſer-

ſervabis. Quod ad te præterea ſcribam, in præſentia nihil eſt. Deus nobiſcum maneat, nóſque ſecum quamprimùm jungat in cælo. Amen. XI. Kal. Aprilis. M. D. LII. Goâ.

## EPISTOLA IV.

### P. Gaſpari, Rectori Collegij Goani.

Summarium. *Varia circa muneris adminiſtrationem ac domeſticorum inſtitutionem monet.*

*Gratia & Charitas D. N. &c.*

COCINVM Dei beneficio appulimus incolumes, Sociósque omnes ſalvos ac valentes offendimus. Hîc mihi redditæ litteræ ſunt ab iis, qui in Comorino Promontorio & in oppido Colano Chriſtianæ rei cauſa verſantur, quibus ſignificant ſe multis vel corporum vel animorum incommodis urgeri. Subvenias eis per Deum quibuſcumque rebus potes. Obiit in Promontorio Comorino P. Paulus Valles, vir egregiâ virtute. Henricus Henriques unus omnino reliqvus eſt: proinde Socium illi adjunges, itémque Coſmo Turriano, qui relictus eſt in Japonia ſolus; ac ſi ſieri poterit, eidem aliquid ſubſidii per Socium mittes: quippe illis in locis propter gentis tenuitatem, vel maximè rerum omnium laborant inopiâ. Vtrique

que autem eorum alterum ex ſacris calicibus, quos tibi reliquos feci, perferendum curabis: neque enim illi habent plus uno.

Mando tibi planè, ut iſtius Collegii æs alienum diſſolvas quamprimùm; nam ſuum cuique perſolvendum eſt. Quod in hoc genere effeceris, facies ut ſciam. In exigendis autem Collegii vectigalibus noli eſſe remiſſior quàm par eſt: hinc enim fit, ut inopia premantur abſentes, & Chriſtiana officia permulta impediantur, aut certè retardentur.

Iterùm mando tibi, ne quemquam niſi idoneum, & domi foriſque utilem adſcribas in Societatem. Proinde qui apti non ſunt, his cave Societatem oneres. Ceteros fac diligenter excolas, maximè verò eos qui externis negotiis implicantur, veluti obſonatores, & alios ejuſmodi. Curabis igitur, ut ſine alicujus offenſione vivant, & res ſibi creditas fideliter tractent

Si quos arrogantiores eſſe animadverteris, hos verò exercebis in humilibus officiis & abjectis; ac pedem efferre domo, quoad ejus fieri poterit, vetabis: præcipuè verò appoſitis meditationibus ad Chriſtianam revocabis humilitatem. Si ne ſic quidem ad ſanitatem redeant; Societatem inutili onere levabis: præſtat enim paucos eſſe Socios, ac frugi,

frugi, quàm multos & nequam. Absentes omnes Socios de concordia cum omnibus, maximè verò cum Episcopi Vicariis & Præfectis oppidorum tuendâ per litteras identidem commonebis. Præceptorum, quæ tibi reliqui, eis exempla mittes; atque illud denuntiabis, si qui moderatoribus suis minùs dicto audientes fuerint, seriùs aut citiùs nostrâ Societate carituros. Idque illis apertè ac totidem verbis, quibus ego usus sum, denuntiabis, ut meliùs posthac suis quisque rationibus consulat. Bazainum ad P. Melchiorem scribes, ut Texeram socium atque adjutorem habeat apud se. Deus mihi, tibique ac ceteris sanctitatem impertiat. Amen. VIII. Kal. April. M. D. LII. Cocino.

## EPISTOLA V.

### Balthasari Gago, Bazainum.

Summarium. *Hortatur, ut omnium virtutum det exempla; præcipuè Christianæ charitatis, & submissionis animi, atque observantiæ erga primates.*

SUMMOPERE te oro, quæsóque, ut pro tua erga CHRISTUM charitate, ac studio divinæ gloriæ, ubique CHRISTI bonus odor esse studeas; téque exemplum omnium virtutum civitati proponas: omnino autem caveas,

veas, ne qua in re animos hominum offendas. Id consequêris, si moderatio in te & Christiana enitebit humilitas. Itaque initio in humilibus officiis te & abjectis exercebis sedulò: cives utique hac ratione conciliati, quicquid dices aut facies, bonam in partem accipient; ídque hoc etiam magis, si in eisdem illis officiis perseverare te in dies ardentiùs viderint. Quare te vehementer oro, ne obliviscaris tui in virtute progressûs: neque enim te fugit, qui in virtutis via non progrediatur, regredi. Iterùm à te peto, quæsóque per Deum, ut tuo exemplo populum excites ad pietatem. Si submissione animi & prudentiâ instructus eris, non dubito, quin & tui operis fructus uberes laturus sis, & bonus planè Concionator futurus. Siquidem humilitas & prudentia, multarum sunt magnarúmque rerum parentes ac magistræ. Valetudinaria & vinctorum custodias crebrò visitabis: hæc enim Christianæ humilitatis officia, præterquam quòd Deo grata sunt & hominibus salutaria, non vulgarem etiam apud populum existimationem atque auctoritatem pariunt, etiam iis qui neque munus habent neque facultatem concionandi. Præfecti, Vicarii, Sacerdotum, Sodalium Misericordiæ, regiorum Magistratuum, civitatis universæ amorem & conciliabis

liabis tibi, & tueberis diligenter: permagni quippe id refert ad flectendas, quocumque opus sit, hominum voluntates, tum concionando, tum confessiones audiendo, tum congrediendo. Ad novum istum Christianorum fœtum fovendum & augendum, sanè velim auctores adjutorésque adhibeas Præfectum, Vicarium, & Sodales Misericordiæ. Proinde id ages, ut quantacumque accessio divino cultui per te facta erit, illis accepta referatur. Sic enim fiet, ut tuos conatus magis adjuvent, impediant minùs. Atque etiam consequêris, ut in tuis difficultatibus ac dimicationibus amicos ac patronos habeas plures, adversarios pauciores, aut potiùs neminem. Quis enim oppugnare te audeat, quem constet talium virorum præsidio tectum esse? Itaque si quando de Christianæ Fidei propagatione litteras ad Lusitaniæ Regem dabis, honorificam & gratam de egregia eorum erga rem Christianam voluntate facies mentionem: atque ipsis, si videbitur, eas litteras ostendes. Omninóque petes ab Rege, ut illorum erga nos, CHRISTIque religionem officia grata sibi accidisse significet; & eorumdem studia per litteras ita collaudet, ut omnia divini cultûs, reíque Christianæ incrementa ipsis potissimùm attribuat secundùm Deum. Ad
Regem

Regem numquam, nisi de rebus ad religionem Ethnicorúmque conversionem pertinentibus litteras dabis nam de ceteris negotiis ad Socios in Lusitaniam scribere oportebit. Ad offensiones hominum vitandas, Collegij & Neophytorum vectigalia neque per te ipse neque per alium è Societate, si fieri possit, sed per alium quempiam hominem idoneum exigas velim. Neque enim erit, opinor, difficile, procuratorem aliquem reperire locupletem, ne nostrarum fortunarum periculo negotietur, ueu acerbiùs exigendo pauperes vexet: quem divinarum rerum meditationibus instructum, ad sacrorum mysteriorum frequentationem adducas, eíque muneri volentem præficias. Deus nos pro sua benignitate conjungat in cælo. Dat. III. Non. Aprilis, Goæ.

## Epistola VI.

### Patri meo in CHRISTO P. Ignatio Romam.

Summarium. *Repetitis, quæ aliàs de Japonia scripsit, certiorem facit de profectione sua in Sinas, curâ rerum & Sociorum Gaspari Barzeo Belgæ commissâ. Significat in Japonia requiri bene instructos cùm à virtutibus, tum scientiis: præidoneos videri Belgas aut Germanos;*

*manos: experi primarium aliquem, qui Societatem illic sparsam ad instituti leges confirmet: è re divina esse, venturos eò diligenter priùs probari: gratum fore, si de re Societatis ejúsque incremento per litteras ab aliquo doceatur.*

*Gratia & Charitas D. N. &c.*

FEBRUARIO mense proximo scripsi ad te, de meo ex Japonia in Indiam reditu; de multitudine Ethnicorum ad CHRISTUM aggregata, de Cosmi Turriani & Joannis Ferdinandi industria, qui à me Amangucij relicti Christianos jam factos, quíque quotidie fiunt, excolunt diligenter. Propediem duo è Societate Amangucium proficiscentur, qui partim Turrianum suâ operâ juvent, partim etiam Japonicâ linguâ erudiantur: ut cùm spectatâ virtute Patres istinc advenerint in Japonicas Academias ituri, paratos habeant fideles interpretes, quibus utantur. Amangucij jam Dei benignitate Societatis domicilium est constitutum, tam procul ab urbe Roma: abest quippe à Goa ampliùs quadragies centena millia passuum, & ducenta; ab Urbe Roma leucarum ampliùs sex millia. Post sextum diem, Deo approbante, tres è Societate, in his duo Sacerdotes, ad Sinarum regnum profecturi sumus. Id regnum è regione Japoniæ est longè amplissimum, acri-

acribus ingeniis, hominibúsque eruditis vel maximè frequentatum. Nam quantum ego cognoscere potui, florent apud eos studia doctrinarum; atque ut quisque doctissimus est, ita ceteris & dignitate excellit & potestate Religiones, quibus Japones utuntur, satis constat petitas ab Sinis. Imus spei fiduciæq; divinæ pleni, confidimúsque, CHRISTI nomen in Sinas aliquando penetraturum. Quæso te, Deum pro his qui in Japonia sunt, quíque in Sinas contendunt, precari ne desinas. Vbi in Sinas Deo favente pervenerimus, de nostro adventu, déque spe propagandæ religionis ad te perscribam pluribus.

Collegii Goani Rectorem Gasparem Belgam constitui, virum spectatæ virtutis, & cælestibus donis cumulatum; eumdémque Concionatorem egregium, & civitati universæ ac domesticis unicè carum. Omnes qui in his locis versantur, tum Patres, tum Fratres, ei parere jussi. Itaque sanè lætus, & domesticarum rerum solicitudine vacuus proficiscor in Sinas. Si fortè Deus me absente Gasparem evocarit è vita, chirographum apud illum reliqui obsignatum, quo Rector ei à me substitutus declaretur. Id me ut facerem, longinquitas locorum admonuit. Visum etiam est è re Christiana, ante meum in Sinas discessum præcipere, ut pro-

ximo

ximo anno certus homo è Societate hinc in Lusitaniam, atque inde Romam cum litteris mitteretur; ex quo coràm cognosceretis, quantoperè viros hujus vitæ laboribus & periculis exercitos ac probatos hæc loca desiderent. Nam ejusmodi qui sunt, plurimùm in amplificatione divini cultûs proficiunt: ceteri, quamvis docti homines, si parum in ærumnis sint vexationibúsque spectati, admodum parum. Pro usu quem Japoniæ habeo, cùm omnibus Japonum saluti consulturis, tum verò nostris ad Japonicas Academias ituris duo planè sunt necessaria: primùm, magnus rerum usus, ex ærumnis ac periculis, & interiore sui cognitione comparatus. Nam in Japonia majora frigorum, inopiæ, ceterarúmque rerum incommoda subituri sunt, quàm usquam in Europa: huc accedent insectationes & ludibria indigenarum, qui peregrinos vix homines ducunt; maximè verò Bonziorum, qui divinæ Legis præcones acerrimè insectantur: quamquam in hisce ipsis incommodis mirificè gustatur Deus. In Japonicas Academias sacra Missæ suppellex non videtur propter longinquitatem & latrocinia itinerum tutò posse præferri. Itaque in tot ærumnis atque vexationibus, cùm & sacrificii solatium & Eucharistiæ præsidium desit, satis apparet, quan-

quantâ tandem virtute ac robore animi septos esse oporteat eos, quibus Japonica Gymnasia destinentur. Deinde ab ingenio doctrináque instructos esse convenit, ut Japonum interrogationibus facilè appositéque respondeant. Plurimùm autem refert, eos esse Philosophiæ, maximè verò Dialecticæ peritos, ut possint Japonum pertinaciam coarguere ac revincere: nimirum ut ostendant, eos sibi non constare, sed dicere planè contraria. Eosdem non ignaros esse velim Astrologiæ: Japones enim mirum in modum cognoscere avent de Lunæ ac Solis defectionibus; cur Luna toties crescat, totiésque decrescat: item illa; unde imbres, nix, grando nascatur: qui cometæ, tonitrua, fulgura, & alia ejusmodi existant Incredibile est, talium rerum explicatio quantum valeat ad conciliandas Japonum voluntates. Hæc de Japonicis rebus ac moribus scire te volui; quoniam ad delectum eorum, qui mittendi sunt, caput est nosse mores ejus loci, quò mittantur. Sæpenumero mihi in mentem venit, ad Japonicum negotium Belgas aut Germanos Patres perappositos judicare; quippe frigoris laborísque patientes: cùm præsertim in Italia & Hispania, quòd vernaculam linguam ignorent, nullum in concionando usum habeant. Etsi enim, ut

agere possint cum Sociis qui in Japonia sunt, Hispanici aut Lusitanici sermonis rudes esse non debent, tamen ejusmodi linguam Indico & Japonico itinere, in quo biennium minimùm ponitur, satis addiscent. Unum est quod sanè scire te velim, primarium aliquem Societatis hîc desiderari, instituti nostri peritum inprimis ac studiosum, cui scilicet tecum vetus consuetudo intercesserit. Tali inquam viro Goanum hoc domicilium, & tot locis sparsa Societas carere non pôtest; siquidem ad instituti nostri leges & constitutiones conformanda est. Nec verò necesse est eum esse Concionatorem: tametsi concionandi facultate careat, usui tamen nobis erit & emolumento. Oro te atque obsecro per Jesum, ut aliquem abs te ipso delectum hujus Collegij Rectorem constituas: ut enim is non abundet doctrinarum scientiâ; tamen quisquis erit tuo judicio delectus, profectò talis erit, qualem hæc domus requirit. Patres quippe ac fratres, qui hisce in locis versantur, mirandum in modum expetunt ab Vrbe Moderatorem ejusmodi, qui tecum diu ac multum fuerit. Is si anniversarias others dierum Indulgentias quibus populus certis diebus Festis ad Confessionis & Eucharistiæ Sacramenta invitetur, istinc secum attulerit; rem populo pergratam fecerit, divinó-

vinóque cultui peropportunam. Vix dici poteſt, Jubilæum abs te miſſum quàm multis ſaluti fuerit. Ejuſmodi autem Indulgentias, Pontificio diplomate comprehenſas, auctoritate obſignatas, cum ſignis pendentibus mitti ad nos velim: neque enim hîc deſunt, qui hujuſmodi Pontificis beneficia, ſi quid horum deſit, in dubium vocent. Nam & Jubilæum, quod miſiſti, calumniari conati ſunt quidam, negantes teſtatum eſſe, & Pontificiâ auctoritate firmatum, quòd uſitatis ſignis careret; attamen, Deo approbante, vim & auctoritatem obtinuit ſuam.

E re divina eſt, Sacerdotes, è Societate huc venturos, diligenter priùs probari. Spectatis enim Sacerdotibus hîc opus eſt. Patrem Simonem, & ſi fortè is abſit, Rectorem Collegij Conimbricenſis per litteras commonefeci, ne Patres, qui nulli in Luſitania uſui ſunt, ad nos mittantur: eoſdem enim nihilo fore utiliores in India. Magni autem referret, edici abs te, ne quiſquam omnino Societatis Sacerdos Indiam peteret priùs, quàm peregrinorum ritu Romam profectus à Præpoſito Generali probatus eſſet.

Per mihi, per inquam gratum erit, ſi domeſtico alicui præcipies, ut me de omnibus Patribus, qui nobiſcum Pariſiis Romam venerunt,

nerunt, déque ceteris, faciat certiorem. Itémque de incrementis Societatis, de Collegiorum, ac Domorum, Professorúmque Patrum numero; de viris etiam insignibus in Societatem adscriptis; déque hominibus doctrinâ atque eruditione præstantibus, quibus Societas aucta est, ad nos diligenter copioséque perscribat. Ejusmodi enim epistola ingentes labores, quos terrâ maríque tum apud Japones, tum apud Sinas perferimus, magno utique solatio levabit. Deus nos in cælestium felicitate, & (si ex ejus gloria futurum est) in hac vita conjungat. Id enim si mihi imperetur, obedientiæ vi effici nullo negotio potest. Omnes mihi liquidò affirmant, è Sinarũ regno Hierosolymã adiri posse. Si ita esse cõperero, quot inde leucis distet, quot mensium iter sit, faciam ut scias. Datæ V. Idus Aprilis. Anno. M. D. LII. Goâ.

Tuus minimus filius, longissiméque exulans,

*Franciscus Xaverius.*

## EPISTOLA VII.

### P. Simoni Roderico, in Lusitaniam.

Summarium. *Commendat duos Japones, qui Christianum orbem per Europam lustratum veniunt. Carolum Cæsarem, & Hispaniæ Re-*

*gem cupit admonitos, quanto periculo classes ex noba Hispania ad occupandas Argentarias insulas mittant. Commendat etiam atque etiam dictos Japones.*

*Gratia & charitas D. N. &c.*

MATTHÆVS, & Bernardus Japones, qui me inde usque ex Japonia in Indiam, sunt prosecuti, veniunt istuc, eo consilio, ut in Lusitaniam atque Italiam profecti, Christianæ religionis amplitudinem visant, ac perspiciant potissimùm Romæ: inde domum reversi, comperta ab se & visa renuntient civibus. Quare sic eos tibi commendo, ut majore studio neminem commendare possim. Da operam, ut læti ac voti compotes revertantur: nam illorum testificatio magnam nobis ac nomini Christiano conciliatura est auctoritatem. Japones quippe ceteras nationes contemnunt præ se:atque hæc fuit causa, cur nulla cum gente commercio jungerentur, quoad eò Lusitani octo aut novem ab hinc annis appulerunt. Has insulas Hispani Argentarias vocant. Ac mihi Lusitani quidam in Japonia confirmârunt, Hispanos ex nova Hispania Molucum petentes prætervehi solitos Japoniam; si qua autem eorum navis eò appellere conetur, in itinere interire: ejus rei hanc à Japonibus

afferri caufam, quòd in Japonico mari ab ea parte, quâ ex nova Hifpania in Japoniam navigatur, permultæ fyrtes occurrant, ubi naves inhærentes depereant. Hoc eò fcribo, ut Regis ac Reginæ litteris Carolum Cæfarem, & Hifpaniæ Regem admonendum cures, ne ex nova Hifpania claffes ad occupandas Argentarias infulas mittat: omnes enim naves (ut nunc quidem eft) ad unam perituras. Etenim ut incolumes ad infulas perveniant, fi earum potiri conentur armis, negotium fore cum gente non minùs cupida, quàm bellicosa, quæ quamvis magnam hoftium claffem per vim captura videatur. Huc accedere, quòd terra adeò fterilis eft ac vafta, ut peregrinæ copiæ fame debellari nullo negotio poffint. Tantas porrò circum has infulas exiftere tempeftates, ut Hifpanis navibus, nifi portum aliquem habeant amicorum quò fefe recipiant, certum exitium impendeat. Iterum dico, adeò avidos armorum effe Japones, ut ftudio auferendi arma (quantum ex eorum ingeniis ac moribus conjicere licet) Hifpanos contrucidaturi fint ad unum. Hæc ego Regi jampridem fcripfi; fed fortaffe occupationibus factum eft, ut tota res ex animo ejus effluxerit. Verùm ut hac religione animum liberem meum, id Regi in memoriam redigas velim; fanè enim

nè enim miserabile est, audire multas novæ Hispaniæ classes, dum Argentarias insulas peterent, in cursu perîsse Nam præter Iaponiæ insulas in illa Orientis parte nullæ extant, ubi sint argenti fodinæ.

Iterùm tibi mando, ut hosce Japones sic accipias, ut de templis, Academiis, ceterisque rebus nostratibus multa habeant admirabilia, quæ deinde popularibus commemorent suis. Equidem confido fore, ut Christianorum opes atque amplitudinem obstupescant. Bernardo, itémque Matthæo in Iaponia sum usus plurimùm. Homines sunt tenui quidem re, sed magnâ fide, qui contractâ mecum familiaritate, revertentem me in Indiam ex Japonia ea mente sunt prosecuti, ut in Lusitaniam ac Romam pergerent. Nam Japones nobili loco nati alienas terras peragrandi studio non tenentur: quamquam Neophyti nonnulli viri honesti Hierosolymam cogitant, ut CHRISTI Domini incunabula ac patibulum invisant; Matthæus & Bernardus inprimis: qui tamen perlustratis rebus Romanis, utrùm Hierosolymam accessuri sint, nescio. Equidem optabam par Bonziorum litteratorum in Lusitaniam mittere, ut Japonicorum ingeniorum (nihil enim illis acutius aut prudentius) specimen caperes; verùm illi, utpote

& nobiles, nec egentes, adduci non potuerunt, ut vel ad tempus cederent patriâ. Alios præterea Neophytos mecum abducere sum conatus, qui maritimi itineris, tam longinqui præsertim, difficultatibus deterriti ab eo consilio sunt. Hos igitur (Matthæum dico & Bernardum) Romam ita mittas velim, ut deinde Patribus aliquot comitati in Japoniam revertantur; fidémque faciant popularibus suis, quantum tandem intersit inter Christianorum opes & Japonum. Deus faxit, si è divino cultu est, ut nos apud Sinas aliquando revisamus; sin minùs, utique in cælesti patria; ubi longè majore cum voluptate intermissos tuæ suavissimæ consuetudinis exigam fructus. v. Aprilis. Anno, M. D. LII. Goâ.

## Epistola VIII.

## Joanni III. Regi Lusitaniæ.

Summarium. *Superiorum litterarum renovatâ memoriâ, exponit, se cum legato ad Sinarum Regem proficisci: afferri ei, inter alia munera, Evangelium JESU CHRISTI: arduæ Legationis consilia se spei animique plenum aggredi. Ad extremum rogat, ut litteris Ignatium sollicitet, uti Sacerdotes aliquot in Indiam*

*diam*

*diam quamprimùm mittat, adjuncto Rectore Collegij Goani.*

HOc ipso anno è Japonia revertens, Cocini litteras ad tuam Majestatem navibus Lusitaniam petentibus dedi, quibus ostendebam, quo loco res Christiana esset, quàm idonea & accommodata ad CHRISTI religionem suscipiendam gens Japonica videretur. His addebam, Bungi Regem tuarum regiarum virtutum perstudiosum esse, ab eóque amicitiæ obsidem egregiam ad te mitti loricam. E Societate duos propediem profecturos Amangucium Japoniæ urbem, ubi jam domicilium Societatis est constitutum: totidem spectatâ fide ac probitate jam dudum in Neophytorum institutionem inibi incumbere. Faxit Deus, ut tuæ præstantissimæ munificentiæ ope, ibi quoque Christiana res amplificetur quàm maximè. Illud quoque adscribebam, mihi deliberatum esse, contendere in Sinas, quòd permagna ostendatur spes propagandæ illis locis Christianæ religionis. Goâ post quintum diem Malacam versùs, quà iter est in Sinas, unà cum Jacobo Pereria ad Regem Sinarum legato proficiscar. Multa sanè pretiosa Regi munera afferimus, quæ Jacobus coëmit partim regiâ pecuniâ, partim suâ. Eximium item donum afferimus ejusmodi, quod

haud ſcio an nemo Rex Regi umquam poſt hominum memoriam miſerit: Evangelium, inquam JESU CHRISTI: quod ille cujuſmodi tandem ſit, ſi intellexerit, næ id omnibus ſuis opibus, quamvis amplis, longè anteponet. Spero fore, ut Deus tam amplum regnum, gentémque aliquando reſpiciat: hominibúsque ad ſui ſimilitudinem conditis oculos aperiat ad cognitionem effectoris ſui, & JESU CHRISTI communis omnium Salvatoris.

Tres omnino è Societate ſimul cum Pereria in Sinas proficiſcimur, eo quidem conſilio, ut Luſitanos captivos in libertatem vindicemus; Sinarum Regem ad Luſitanorum perducamus amicitiam; bellum dæmonibus eorúmque cultoribus inferamus. Itaque Regi primùm, deinde ceteris cæleſtis Regis nomine denuntiabimus, ne diabolum poſthac, ſed Deum hominum conditorem, & JESUM eorumdem vindicem ac Dominum colant. Audax inceptum videri poteſt, barbaros populos, ac præpotentem Regem adire ejus reprehendendi gratiâ, prædicandæque veritatis. Verùm illud ingentes nobis animos addit, quòd hanc mentem Deus injecit, idémque nos bonæ ſpei ac fiduciæ implevit; adeò ut Dei benignitate freti, nihil de immenſa ejus poteſtate, quæ infinitis partibus

tibus Sinarum Regem superat, dubitemus. Proinde, cùm hoc negotium totum in Dei manu sit ac potestate, nullus relinquitur timori aut dubitationi locus. Neque enim aliud quicquam timere debemus, nisi, ne cælesti Numine offenso, intentata improbis supplicia incurramus. Mihi verò maximam vel spem vel fiduciam illa affert cogitatio, ad tantum opus (quantum est barbaræ & superstitione ac vitiis excæcatæ nationi in alio pæne orbe terrarum, Evangelij ac veritatis lumen offerre) inertissimos nequissimósque homines, quales nos sumus, esse delectos à Deo. Multa à Majestate tua beneficij loco iis petij, qui operam hîc regijs negotijs navant; quæ tua mihi largitas tribuit omnia. Pro his igitur tibi gratias & ago & habéo immortales. Nunc Christianorum omnium, vel Lusitanorum vel Indorum nomine; itémque Ethnicorum, maximè verò Japonum ac Sinarum, abs te peto majorem in modum, ut pro tuo erga divinum cultum & animorum salutem studio singulari efficias, ut hoc ipso anno Sacerdotes è Societate istinc veniant quàmplurimi; idonei scilicet, & tum domi, tum foris magna cum virtutis ac pietatis laude in hominum salute versati, quales utique viros India desiderat. Nam vitæ communis imperiti ac rudes,

quamvis docti ac litterati, nihil admodùm his quidem locis proficiunt. Quare te, Rex optime, pro tua eximia erga Deum & homines Dei imagines charitate, etiam atque etiam rogo, ut Romam ad Ignatium nostri Ordinis Parentem quàm accuratissimè scribas, uti Sacerdotes aliquot, ad multa perferenda corpore atque animo paratos, etsi parum ad concionandum idoneos, mittat in Indiam; propterea quòd tales viros cùm Indorum, tum verò Japonum ac Sinarum expeditio requirat. Hisce autem comitem adjungat hujusce sedis ac domicilij Rectorem, hominem videlicet spectatum ac probatum, & nostræ disciplinæ atque instituti satìs peritum. Sic enim habeto, istiusmodi demum Sacerdotes Indis, Japoniæ ac Sinis magno emolumento futuros: quippe cùm hæc loca viros expetant ejusmodi, qui dimicationes & multas, & graves sustinere possint. Itaque spectatæ virtutis esse oportet, eosdémque doctrinæ præsidijs satìs instructos, ut acerrimorum ingeniorum (cujusmodi Japonum sunt atque Sinarum) quæstionibus satisfaciant. Quò magìs horum locorum difficultates aperiam, placuit certum hominem hinc in Lusitaniam ad P. Simonem, & Romam ad P. Ignatium cum litteris allegare. Restat ut pro CHRISTI Domini

mini noſtri gloria & ſalute animorum ad P. Ignatium litteras dare ne graveris, quibus hominem quamvis currentem incites, ut quàm diligentiſſimè, quàmprimùm, & divinæ gloriæ conſulat, & religioni tuæ; atque illiuſmodi viros minimùm ſex cum Rectore, qualem effinxi, mittat ad nos. Ego verò confido, eam rem & Deo honori, & his nationibus ſaluti futuram. Tantum mihi de egregia tua benignitate polliceor, Rex optime, ut planè perſuaſum habeam fore, ut ad cetera ſingularia tua erga me beneficia hic quaſi cumulus accedat. IV. Id. Aprilis M. D. LII.

## EPISTOLA IX.

### P. Simoni Roderico, in Luſitaniam.

Summarium. *Significat ſe in Sinas, alios duos in Japoniam tendere. Sociorum labores, & Gaſparis Barzæi virtutes deprædicat. Incommoda Japoniæ deſcribit. Suadet ut per Regem Ignatium ſtimulet, ut viros expeditos mittat. Simonem in Sinas amantiſſimè invitat. Scire avet, quid Romæ in Congregatione actum ſit, & quibus flagrent deſideriis Conimbricenſes Socij.*

*Gratia & Charitas D. N. &c.*

EX Japonia in Indiam reverſus, de Japonicis

nicis rebus ad te perſcripſi Cocino. Nunc illud te ſcire volo, me poſt octo dies in Sinas eſſe profecturum. Tres omnino ducam è Societate, Sacerdotes duos, adjutorem unum. Imus magna cum fiducia divinæ benignitatis, ac ſpe rei Chriſtianæ benè gerendæ. De noſtro itinere faciam te certiorem, ubi primùm Malacam appulero. In Japoniam Socij duo hoc anno Amangucium ad P. Coſmum Turrianum mittuntur, Japonici ſermonis addiſcendi gratiâ; ut ſcilicet ubi iſtinc Patres magnæ virtutis atque uſûs Goam venerint, in Japoniam ituri paratos habeant comites è Societate Japonicæ linguæ peritos, qui ſcienter ac fideliter Chriſtianæ religionis myſteria, & cetera quæ ab illis acceperint, enuntient apud Japones. Hoc nimirum magno ſubſidio erit Patribus Japoniæ Academias aggreſſuris, ut illis populis ſuave CHRISTI jugum imponant.

Eſt cur CHRISTO D. N. graruleris, complures hîc eſſe è Societate, tum Patres, tum Fratres, qui concionando, confeſſionibus audiendis, diſcordiis ſedandis, aliiſque Chriſtianæ pietatis officiis rem Chriſtianam non mediocriter juverint, ac juvent indies magìs; quâ quidem ego ex re incredibilem cepi animo voluptatem. Goani Collegij Rectorem P, Gaſparem conſtitui, virum, cui

propter

propter summam submissionem atque obedientiam tribuo plurimum. Hic egregiâ est concionandi facultate præditus, ut quoties dicit ad populum (dicit autem sæpiùs) fletu ac gemitu templum compleatur. Deo bonorum omnium largitori habenda est gratia. Frater is qui has tibi litteras reddet, istuc venit, ut coràm ex eo cognoscas, quantopere non solùm Japonia & regnum Sinarum (si Deo adjuvante aditus, ut spero, Evangelio patuerit) verùm etiam India ipsa Patres è Societate requirat, viros inquam, magno rerum usu, præstanti virtute ac fide; robore autem vel animi vel corporis singulari. Tales præcipuè oportet esse eos, qui in Japoniam, Sinas, Molucum, Armuziam destinantur.

Qui hæc in loca venturi sunt, ut animorum saluti consulant, duabus hisce rebus carere non debent: primùm, ut sint laboribus assueti; in quibus ut quisque maximè spectatus erit, ita plurimum & sibi & aliis proderit: deinde, ut satis litteris instructi ad sermones habendos, ad audiendas confessiones, ad infinitas Bonziorum, tum Japonum, tum Sinarum quæstiones profligandas. Nam Sacerdotes, qui istic inutiles sunt, hîc minimè sunt necessarij. Ob eam causam ex usu esse statui, hunc ad te mittere, qui hisce de rebus

rebus tecum ageret: & de tua ſententia idoneos viros deligeret priùs, quàm Romam ad Patrem noſtrum Ignatium pergeret. Idem enim ad eum allegatur; primùm, ut expertum & idoneum aliquem ac ſpectatum hominem è Societate, eumdémque familiarem ſuum, & noſtri inſtituti peritum in primis mittat Goani hujus Collegii Rectorem, cui Socii omnes, qui in Oriente verſantur, obtemperent, quíque leges & conſtitutiones Societatis, noſtrámque vivendi rationem proponat, atque explicet ceteris: deinde, ut magni uſûs Patres, etſi non multarum litterarum, nec magnæ concionandi facultatis, in Indiam ſubmittat, qui in Japonia ac regno Sinarum quibusvis Bonziorum interrogationibus reſpondere ac ſatisfacere haud ægre poſſint. Eſſet utique è re Chriſtiana, inſequenti anno ab illo mitti cum hujus domicilii Rectore quatuor aut quinque Sacerdotes è Societate ſatìs expertos, & quamquam minùs concionibus idoneos, tamen laboribus perferendis accommodatos; cujuſmodi homines in Italia & Hiſpania eſſe multos arbitror, qui jam bonarum artium ſtudiis abſolutis, ſaluti conſulant aliorum. Tales omnino viros hæc loca deſiderant: nam qui ex Gymnaſiorum umbraculis evocati, necdum hujus vitæ laboribus exerciti, ſatiſve

ſatisve probati ſunt, ſi huc ſeſe conferãt, facilè fiet, ut nec aliis proſint, & ipſi pereãt. Neq; enim ærumnarũ, cujusmodi in Japonia ſubeundæ ſunt, uſum ullum habent. Quippe in Japonia (ut dixi) ſubeunda incommoda, frigorum maxima: ubi ad vim frigoris arcendam tam paucæ facultates commoditatésque ſuppetunt, ut ne cubile quidem ſit ad dormiendum. Accedunt alimentorum ſummæ difficultates, crebræ & graves Bonziorum ac populi inſectationes, multæ peccandi illecebræ; maxima ludibria & irriſiones plebis; & quod omnium ſtatuo graviſſimum, in Japonicis Academiis, ubi propter locorum intervalla rerum ad Sacrum neceſſariarum facultas eſſe nequit, cæleſtis panis, qui *cor hominis confirmat*, unico in malis ſolatio carendum eſt. Hoc enimverò illis locis acerbiſſimum accidit. Nam Amangucij, ubi Societas domicilium habet, facultas eſt rei Divinæ faciendæ; in Academiis, quò Amangucianis Patribus eundum eſt, non item. Neque enim ſacra Miſſæ ſuppellex per itinera latronibus infeſta tutò perferri poteſt. Quapropter ſi qui iſtinc ad Japonicam expeditionẽ venerint parum ad tantam ærumnarũ molem ſuſtinendã virtutibus inſtructi, malè metuo, ne ad certũ interitum ruant.

Equidem ad ſumma illorum locorum frigora

gora & incommoda toleranda Belgas aut Germanos è Societate Sacerdotes perappositos censeo, qui multorum jam annorum usum sint consecuti. Sanè istiusmodi ad Japoniam & Sinas accommodati videntur præter ceteros. Ego verò non dubito, quin Deus, quæ res & suæ gloriæ & animorum saluti plurimùm conducit, ejus efficiendæ facultatem tibi sit daturus, quò viros submittas his locis quàm maximè appositos. Oro te etiam atque etiam, ut viros laboribus atque periculis exercitos deligas, qui, Deo adjuvante, de illiusmodi incommodis & vexationibus victoriam referant. Nam quorum virtus in ærumnis & insectationibus spectata non est, his nihil magnum rectè committitur. Quæso te, si videtur, age cum Rege, ut postulet per litteras à P. N. Ignatio expertos aliquot Patres in Japonicam expeditionem, & virum excellenti virtute ac prudentia, hujus Collegij & Societatis in India Rectorem futurum. Societas enim his locis mirandum in modum dispersa ac dissipata est: quippe quæ in Persidem, in Cambajam, Malavares, Oram Piscariam, Malacam, Molucas, Mauricas Japoniásque insulas propagatur: quæ loca ab urbe Goa absunt longissimè. Quamobrem Goanus ille Societatis Rector, ut Patrum Fratrúmque

que in tam remotis disjunctísque locis versantium commodis serviat, saluti prospiciat, incommodis medeatur, magno scilicet rerum usu & egregiâ virtute polleat necesse est. Mihi quidem commodissimum videtur, hunc qui meam tibi epistolam reddet, tuas & Regis litteras super hoc ipso negotio ad Patrem Ignatium perferre cum meis: siquidem ego quoque ad eum eadem de re scripsi. Ejusmodi homines sine magno incommodo ex Societatis sedibus eximi posse arbitror: neque enim Patribus à concionandi munere adhorrentibus magnoperè indigent. Nam quos hîc in nostrum numerum adscribimus, ad negotia tantùm & officia domestica usui esse possunt: vix enim quisquam est ita imbutus litteris, ut ad sacerdotium aptus videatur. Hoc eò dico, ut intelligas, istinc quotannis submittendos esse Sacerdotes. O mi Simon, frater charissime, ecquid vides quantam tandem rem moliamur? Si genti tam ingeniosæ ac docili Evangelii lumen Deus afferri voluerit, tu quoque ad Sinas, explendæ animorum sitis gratiâ, utique venias censeo. Ego si illuc Deo duce penetravero, de gentis moribus ac spe serendi Evangelii ad te perscribam. Tantum me tenet desiderium tui, antequam moriar, revisendi, ut semper mecum cogi-

tem,

tem, quemadmodum hujus optati compos fieri queam: & fiam fortassis, si aditus patebit in Sinas Interea te vehementer etiam, atque etiam rogo, ut Patres, quales descripsi, proximo anno ad nos mittas: vix enim credas, quàm sint necessarii; sed credas experto velim. Patri Gaspari mandavi, ut de rebus, quæ hîc geruntur, animorúmque emolumento, ad vos scribat diligenter.

Et quoniam Malacâ pluribus ad te scribere cogito, hoc unum adjiciam. Tuam à me epistolam bene longam expectari de tua in urbem Romam profectione, de rebus in sancto illo Conventu actis atque decretis. Nihil enim est, quod in hac vita scire magis expetam, quando ego (quæ meorum peccatorum pœna est) interesse non potui. Quòd si tibi (quod valde vereor) per occupationes omnia perscribere non licuerit; quæso te, ut id negotii des tuo cuipiam itineris comiti ac socio: id verò mihi erit gratissimum. Illud etiam abs te curari velim, ut Rector Collegii Conimbricensis nominatim me de omnium Patrum, fratrúmque quibus præest, virtutibus, litteris, propensionibus, per litteras faciat certiorem. Et quoniam vereor, ut è summis occupationibus tantum otii eripere possit, quantum ea res postulat; oro ut id ipsum ab alio quopiam domestica-

rum

rum rerum ſatis perito fieri jubeat, ne ego fratrum meorum incenſa patiendi pro Christo ſtudia penitus ignorem. Meminiſſe enim aliquâ ratione eos oportet mei, qui ipſorum memor ſuperiore anno peragrarim Japoniam; nunc verò Sinas petam, ut eis viam ad illarum gentium converſionem muniam: quo videlicet latiſſimo illo campo patefacto, ſit ubi egregia eorumdem pietas, & divini amoris ſtimulis incitata virtus excurrat. Deus nos in Beatorum cœtu, & (ſi ex ejus uſu futurum eſt) in hac quoque vita conjunctos & conſociatos velit. Dat. Idibus Aprilis M. D. LII. Goæ.

Fratrem, cui hanc epiſtolam ad te dedi, quæſo te Romam mitte quamprimùm, ut inſequenti anno cum multis Patribus ad nos revertatur. Nam ſi Chriſtianæ religioni aditus aperietur in Sinas, & vita mihi ſuppeditabit; poſt triennium aut quadriennium in Indiam redire cogito: ut Patribus aliquot Fratribúsq; aſſumptis ſociis tam glorioſi laboris, in illa me referam loca, ut apud Iapones aut Sinas ætatem exigam, ac morte defungar.

## Epistola X.

### P. Cypriano, Meliaporam S. Thomæ.

Sum-

Summarium. *Reprehendit ejus acrimoniam, & hortatur ad lenitatem.*

*Gratia & Charitas D. N. &c.*

ACCEPI te istic negotii aliquid habere, & aliis facessere. Oro te per Deum, & Societatis nostræ Parentem Ignatium, qui tibi sanè notus est, ut demissum te, humilem ac patientem omnibus præbeas. Atque illud mihi affirmanti credas velim; quod Christiana humilitas ac modestia non impetrat, haud quaquam per elationem animi atque iracundiam extorqueri posse; in India præsertim, ubi lenitas nihil non efficit, acerbitas planè nihil. Equidem vel minimum nostri laboris fructum cum approbatione hominum maxima cum offensione eorumdem anteferendum puto. Sed nimirum in eo interdum hallucinamur, quòd observantiam à populo atque obedientiam expetimus, hoc uno nomine, quòd simus è Societate IESU. Neque enim admodum laboramus de virtutibus Sociorum propriis, ob quas scilicet Deus Societati tantum apud populos auctoritatis dedit. At nos ejus auctoritate & existimatione uti malumus, quàm humilitate, moderatione, ceterísque virtutibus, quibus illa partam tuetur dignitatem: nonnumquam etiam (quod deterius est)

est) delicta delictis cumulamus, dum conamur nos omni ope purgare. Quòd si culpam in alios transferre non liceat, non dubitamus in ipsam conferre naturam. Etenim insitum naturæ nostræ vitium esse dicimus, quod sæpe est incuriæ ac negligentiæ. ita Dei ac nostri oblivionem naturæ conditione, tamquam velo quodam obtendimus. Sed *Deus non irridetur*, aut fallitur. Noli per Deum immortalem, cum Magistratibus, quamvis multis ac magnis lacessitus injuriis, suscipere simultatem. Sic enim habeto, ejusmodi dissidiis multos ac magnos animorum fructus interire, quos erat latura concordia. Ego Sinas repeto. Deus tecum maneat, me comitetur, ac demum nos transferat in domicilium Beatorum. Idib. Apr. M. D. LII, Goæ.

## EPISTOLA XI.

### Jacobo Pereriæ.

Summarium. *Adscribit peccatis suis aditum Legationis impeditum ad Sinas.*

*Gratia & Charitas D. N. &c.*

QUONIAM meorum delictorum magnitudine factum est, ut nobis ambobus Deus ad Sinicam expeditionem uti noluerit, omnis

omnis culpa conferenda eſt in mea peccata: quæ quidem tanta ac tam gravia fuerunt, ut non mihi ſolùm obfuerint, ſed etiam tibi, itémque tuis negotiis ac pecuniis, quas in legationis apparatum contuliſti. Verumtamen Deus conſcius eſt meæ erga ſe téque voluntatis; quæ niſi rectiſſima fuiſſet, nunc utique acerbiorem animo caperem dolorem. Ego jam navim conſcendam: ibi profectionis tempus expectabo; ut ſcilicet oculos fugiam tuorum, qui ad me flentes identidem adeunt, ſéque impeditâ legatione perditos miſerabiliter queruntur. Deus ignoſcat ei, qui tot tantorúmque malorum cauſam ſuſtinet. Unum oro, ne me convenias, tuáque calamitate ac dolore mœrorem augeas meum. Quamquam confido id ipſum incommodum tibi emolumento futurum. Neque enim dubito, quin Rex (uti ab eo per litteras petii) debita præmia ſit perſoluturus egregiæ tuæ erga CHRISTI religionem voluntati. Præfectum, quoniam noſtrum iter tam appoſitum ad rei Chriſtianæ amplificationem impedire non dubitavit, valere juſſi. Deus homini ignoſcat. Equidem ejus vicem doleo: longè enim graviores pœnas daturus eſt, quàm ipſe umquam putarit. Dominus noſter tuæ ſalutis cuſtos, idémque mei hujus conatûs & dux ſit, & comes. Amen.

Amen. Ex ædibus nostris Malacensibus, tuam navim conscensurus. VII. Kal. Iulias M. D. LII.

## EPISTOLA XII.

### Eidem.

Summarium. *Hortatur ut adversis rebus ad Deum perfugiat, & de inimicis suis bene mereatur.*

*Gratia & Charitas D. N. &c.*

MAGNUM tui desiderium, quod ex assidua tui memoria capio, incredibilem mihi solicitudinem parit, quòd te in terra pæne pestilenti reliquerim. Hîc in tua navi perbenignè tuo beneficio tractor; mihíque ac meis comitibus res necessariæ suppeditantur: etsi comites quidem mei ita ægri sunt, ut quotidie morbus ingravescat, non sinè maxima mea molestia. Deo ubique gratia, in cœlo, & in terra. Cura, quæso te, etiam atque etiam, ut valeas, & ratione atque prudentiâ paulatim acceptis vulneribus medearis. Illud abs te vehementer peto, ut nunc quàm arctissimè complectaris Deum, qui tam difficili tempore calamitatem sublevet ac soletur tuam. Id adeò consequêre, si crebriùs Confessionis & Eucharistiæ fre-

quentabis mysteria, séque ad divinam voluntatem penitus conformabis. Patres Malacensis Collegij sæpius adeas censeo, atque ab his consolationis petas medicinam. Equidem Dei benignitate spero futurum, ut ex isthoc probro ac detrimẽto magnum propediem decus atque emolumentum existat. Accepi certos homines fuisse, qui cùm nostri itineris impedimenta removere possent, sui compendii causâ noluerint. Sed vehementer errant, qui, deserto fonte bonorum omnium Deo, commoda atque utilitates ab hominibus petunt. Verùm illud præclarum est ulciscendorum inimicorum genus, ut eis & cæleste Numen placare, & benignè facere studeamus. Nimirum Deus ipse vicem nostram ulciscetur, pœnásque ab eis repetet omnium opinione majores. Quod utinam secus eveniat. Si, ut spero, Deo approbante penetravero in Sinas, Lusitanos captivos commonefaciam, quantum tibi debeant pro sumptu, quem ipsorum causâ feceris, ac facturus esses, nisi hominum improbitas obstitisset: atque etiam spem miseris illis faciam libertatis, quam eos proximo anno (si Deus faverit) tuo beneficio recuperaturos esse confido. Sanè velim de te ubi déque tuis rebus me facias certiorem: ubicumque enim terrarum fuero, pergratum mihi

mihi pérque jucundum erit, tecum per literas colloqui. Quod si Deo aliter visum erit, aditúsque nobis omnes in Sinas clausos videro; fortasse Malacam primo quoque tempore transmittam, atque inde in Indiam. Deus tecum sit, tantúmque tibi, quantum mihi ipse expeto, in hac via solatii, in altera illa felicitatis impertiat. Ex freto Sincapurano XI. Kal. August. M. D. LII.

## Epistola XIII.

## P. Gaspari, Rectori Collegii Goani.

Summarium. *A Christianis impeditus, dum Ethnicorum operâ in Sinas penetrare nititur, mandat, ut Præfecto Malacensi, aliisque, qui Legationem impedîverunt, excommunicationem ritè denuntiari curet. Indicat tres è Sociis suis in Japoniam navigare; eódem alium cum eleëmosyna, alios duos in Molucum destinari jubet, & verbis suis Episcopo, Franciscanis ac Dominicanis salutem impertiri.*

*Gratia & charitas D. N. &c.*

Vix credas, quàm fuerim exagitatus Malacæ; nec verò tibi ego scribere queam: Franciscum Perem ad te jussi perscribere. Quicquid ille scripserit, quamvis incredibile videatur, credas licet. Ego in Sinarum insu-

insulas, quæ Cantoni urbi adjacent, pergo, ab humano præsidio nudus; septus tamen, ut spero, divino. In spem venio fore, ut Ethnici homines in continentem Sinarum mihi viam aperiant; quoniam quidem Christiani illud iter intercluserunt, nullo Ecclesiasticæ notæ & cælestis iræ metu, quam tamen miseri incurrerunt. Quare curabis diligenter, ut Episcopus ad Malacensem Vicarium excommunicationis formulam mittat, quâ formulâ Præfecto Malacensi, itémque aliis, qui tam utile rei Christianæ consilium fregerunt, publicè, ac nominatim sacris interdictum esse denuntietur. Velim autem in ea formula illud poni, me à Paulo III. Pontifice Maximo Legatum Apostolicum missum in Indiam cum diplomatis iis, quæ ipse agnoverit Episcopus. Id ego eò facio, ne quis posthac Christianæ religionis propagationi, piorúmque hominum conatibus adversetur. Equidem à nullo Præposito Ecclesiastico postulem, ut quemquam communione fidelium excludat; idem tamen omni ratione contendam, ut qui sanctorum Pontificum decretis ac diplomatis jam exclusi sunt, agnoscantur ab aliis. Neque ullo modo patiar, in tanto eorum vulnere conniveri; ut scilicet resipiscentes aliquando quærant vulneri medicinam; & simul ne
quem-

quemquam in posterum è Societate religionis causâ in Molucum, Sinas, Japoniam, aut aliò proficiscentem, remorari audeant.

Ex quatuor Sociis, quos mecum duxi, tres in Japoniam ire jussi, Balthasarem Gagum, Duartem Sylvam, & Joannem Alcacevam. Validâ navi, & commodâ adhuc quidem tempestate sunt usi. Faxit Deus, ut Amangucium salvi perveniant, ubi Cosmus est Turrianus cum Joanne Ferdinando. Ego apud me Socium unum, & Antonium Sinam retinui. Ambo graviter ægrotant, cum magna vel ipsorum molestia, vel mea. Deo gratia. Tu tamen proximo anno alium in Japoniam Socium mittere memento, quem & Sacerdotem esse oportebit, & litteratum: etenim in Japoniam & Sinas viri deligendi sunt docti, & eruditi. Quòd si Sacerdotis non erit copia, cer[illegible] unum aliquem mittes ingeniosum, & ad Japonicam linguam addiscendam idoneum: & simul Japoniensibus Sociis pecuniæ aliquid eleëmosynæ nomine, sive ab Regis ærario, sive ab Sodalitate Misericordiæ, sive ab aliis piis hominibus curabis, ut miserorum illorum inopiam atque egestatem aliquâ ratione sublevemus. Joannem Beiram in Molucum remittes quamprimùm (magnoperè enim ejus præsentiâ opus est) unà cum uno aliquo Sacerdote, si fieri

poterit, non tam à doctrina quàm à virtute satis instructo: nam in Moluco vitæ probitas magis requiritur, quàm rerum scientia. Proinde Patres, qui eò submittentur, spectatos esse par est ac probatos. Iterum tibi mando, ut sedulò, quæ apud te reliqui præcepta, conserves: primùm quidem ea, quæ ad animi tui salutem ac perfectionem, deinde verò quæ ad Societatis administrationem pertinent. Si fortè (quod Deus avertat) in Sinarum continentem penetrare nequivero, Goam intra mensem Januarium anni insequentis, si vita suppetet, revertar. Tu velim interea ad me omnibus de rebus tum Indicis, tum Lusitanis, itémque de Episcopo, de Franciscanis & Dominicanis perscribas; quibus meis verbis salutem plurimam nuntiabis, orans, ut sanctis suis sacrificijs ac precibus me communi Domino commendare non desinant. Idem externos nostri Ordinis studiosos rogabis. Quippe nos, qui apud Sinas aut Japones versamur, majore quodam præsidio egemus Dei; qui nos pro sua benignitate ad cæleste patriam perducat, ubi tranquilliore profectò vitâ, quàm in hoc exilio, perfruemur. Amen. Ex freto Sinçapurano XIII. Calend. Augusti M. D. LII.

# EPISTOLA XIV.

## Eidem.

Summarium. *Scribit à se expectari mercatorem, à quo ex pacto Cantonem trajiciatur. Mandat ut praecepta, quae ipsi reliquit, lectitet atque observet, praecipuè quae ad animi submissionem spectant. Monet ut paucos & delectos admittat in Societatem: ex ea statim dimittat gravius aliquid admittentes; infracto animo inidoneos arceat. Salutat Dominicanos ac Franciscanos Patres.*

### *Gratia & charitas D.N. &c.*

SCRIPSI ad te, quid adhuc mihi accidisset, Malacâ, an ex freto Sincapurano? Inde nos ad Sancianum Sinarum insulam à Cantone millia passuum circiter CXX. Deus perduxit incolumes. Hîc Sinam mercatorem indies exspecto, quo cum, propter atroces pœnas propositas iis, qui advenam sinè fide publica introduxerint, Pardais ducentis transegi, ut me in Cantonem trajiciat. Faxit Deus, ut res succedat ex sententia. Comperi certos homines ab Sinarum Rege quaquaversus in aliena regna dimissos, qui eorum disciplinas, instituta legésque cogno-

ſcant. Proinde ſpes eſt fore (id quod ipſi mihi Sinæ confirmant) ut Rex Chriſtianam religionem haudquaquam aſpernetur ac reſpuat. Si Deus vitam mihi ſuppeditaverit, & aliquid per nos geſſerit, faciam ut ſcias. In præſentia tibi mando, ut tute tibi curæ ſis: ſin minùs, quam tui ſpem habeam, non video. Memento quæ apud te reliqui præcepta lectitare, atque obſervare ſedulò; maximè verò illa, quæ ad ſubmiſſionem animi pertinent, in quibus jubebam te exerceri quotidie. Vide etiam atque etiam, ne circumſpiciens ea quæ Deus per te ac Socios univerſos effecit, obliviſcaris tui. Mihi verò pro mea erga vos omnes charitate pergratum eſſet, vos unà cum animis veſtris conſiderare, quàm multa Deus veſtro vitio facere omittat: atque hæc malim vos intueri, quàm quantas res per vos Deus efficiat. Nam prior cogitatio pudorem ac demiſſionem animi afferet vobis veſtræ imbecillitatis miſeriæque admonitis; poſterior autem facilè in elationis & arrogantiæ diſcrimen adducet, nixos alienis bonis, præclarisque facinoribus, hoc eſt divinis. Circumſpice quæſo, quàm multis hæc perverſa cogitatio periculum creârit; quàm exitialis hæc Societati peſtis, ſi ſemel in ea ſerpere cœperit, ſit futura.

Denuò

Denuo tibi mando, ut paucos in Societatem adlegas, eósque vel ad ſtudia litterarum, vel ad officia domeſtica idoneos. Narro tibi: ſervos, verè, inquam, ſervos ad ejusmodi officia domeſtica emas citiùs, quàm parum idoneos Socios aſciſcas, cenſeo. Si qui eorum, quos ego dimiſi, Goæ verſantur, cave eos ullo modo recipias; neque enim ſunt ad noſtrum inſtitutum accommodati. Quòd ſi quis ſuperiorem vitam planè emendaverit, idque publicis pœnis ſponte ſuſceptis ac diuturnis planum fecerit; hunc, ubi ſatisfeciſſe tibi viſus erit, tum demum in Luſitaniam ad Societatis Moderatorem cum litteris commendatitiis mittas licebit. Nam iſtos Indiæ uſui non eſſe, perſpectum habeo. Atque etiam ſi quis è Societate, ſive Sacerdos, ſive alius quiſpiam gravius aliquid admiſerit cum offenſione aliorum, eum ſtatim miſſum facito; neque cujusquam deprecatione adductus recipito: niſi fortè peccati cognitio, dolor, ac pœna voluntaria ejuſmodi fuerit, ut ipſa per ſe calamitatem ab illo deprecetur. Sin minùs, nullo modo recipies, ne ipſo quidem Prorege, cunctáque Indiâ deprecante. Iterum tibi revoco in memoriam, ut in Molucum & Japoniam non niſi ſpectatos, magnáque virtute atque uſu Socios mittas; tales enim cultores agri illi de-

ſcant. Proinde ſpes eſt fore (id quod ipſi mihi Sinæ confirmant) ut Rex Chriſtianam religionem haudquaquam aſpernetur ac reſpuat. Si Deus vitam mihi ſuppeditaverit, & aliquid per nos geſſerit, faciam ut ſcias. In præſentia tibi mando, ut tute tibi curæ ſis: ſin minùs, quam tui ſpem habeam, non video. Memento quæ apud te reliqui præcepta lectitare, atque obſervare ſedulò; maximè verò illa, quæ ad ſubmiſſionem animi pertinent, in quibus jubebam te exerceri quotidie. Vide etiam atque etiam, ne circumſpiciens ea quæ Deus per te ac Socios univerſos effecit, obliviſcaris tui. Mihi verò pro mea erga vos omnes charitate pergratum eſſet, vos unà cum animis veſtris conſiderare, quàm multa Deus veſtro vitio facere omittat: atque hæc malim vos intueri, quàm quantas res per vos Deus efficiat. Nam prior cogitatio pudorem ac demiſſionem animi afferet vobis veſtræ imbecillitatis miſeriæque admonitis; poſterior autem facilè in elationis & arrogantiæ diſcrimen adducet, nixos alienis bonis, præclariſque facinoribus, hoc eſt divinis. Circumſpice quæſo, quàm multis hæc perverſa cogitatio periculum creârit; quàm exitialis hæc Societati peſtis, ſi ſemel in ea ſerpere cœperit, ſit futura.

Denuò

Denuo tibi mando, ut paucos in Societatem adlegas, eósque vel ad ſtudia litterarum, vel ad officia domeſtica idoneos. Narro tibi: ſervos, verè, inquam, ſervos ad ejusmodi officia domeſtica emas citiùs, quàm parum idoneos Socios aſciſcas, cenſeo. Si qui eorum, quos ego dimiſi, Goæ verſantur, cave eos ullo modo recipias; neque enim ſunt ad noſtrum inſtitutum accommodati. Quòd ſi quis ſuperiorem vitam planè emendaverit, idque publicis pœnis ſponte ſuſceptis ac diuturnis planum fecerit; hunc, ubi ſatisfeciſſe tibi viſus erit, tum demum in Luſitaniam adSocietatisModeratorem cum litteris commendatitiis mittas licebit. Nam iſtos Indiæ uſui non eſſe, perſpectum habeo. Atque etiam ſi quis è Societate, ſiveSacerdos, ſive alius quiſpiam gravius aliquid admiſerit cum offenſione aliorum, eum ſtatim miſſum facito; neque cujusquam deprecatione adductus recipito: niſi fortè peccati cognitio, dolor, ac pœna voluntaria ejuſmodi fuerit, ut ipſa per ſe calamitatem ab illo deprecetur. Sin minùs, nullo modo recipies, ne ipſo quidem Prorege, cunctáque Indiâ deprecante. Iterum tibi revoco in memoriam, ut in Molucum & Japoniam non niſi ſpectatos, magnáque virtute atque uſu Socios mittas; tales enim cultores agri illi de-

ſiderant. Dominicanos ac Franciſcanos Patres meis verbis ſalutabis, atque obteſtaberis, ut in ſanctis ſuis precibus ac ſacrificiis Deum pro me orare non deſiſtant. Deus nos perpetuò regat, & aliquando in beatitudinis ſuæ Societatem vocet in cælum. Ex Sanciano Sinarum Inſula. VIII. Kalendas Novembris. M. D. LII.

## EPISTOLA XV.

### Franciſco Peræ

Summarium. *Narrat, quibus charitatis officiis occupetur in Sanciano, & quâ ratione inde Cantonem transmittere meditetur. Probat ſe aditurum diſcrimen, gravius ſervitutis & vitæ periculis, quibus ſe propoſitum videt, ſi Deo diffidat. Addit de Sinarum, quibus notus eſt, in ſe propenſa voluntate.*

*Gratia & charitas D. N. &c.*

SANCIANI portum à Cantone millia paſſuum circiter centum viginti, Deo favente, tenuimus. Simul atque è navi deſcendimus, ædiculam ſtruendam curavi, ubi quotidie, quoad in morbum incidi, rem Divinam feci. Laboravi febri dies omnino XV. Jam Dei beneficio convalui. Nec vaco à piis negotiis, veluti à confeſſionibus audiendis,

dis, discordiis tollendis, ceterisque officijs generis ejusdem. Huc Sinæ mercatores multi Cantonienses commercii causâ commeant. Egerunt cum eis diligenter ac sæpe Lusitani, ut eorum aliquis me Cantonem trajiceret: omnes tamen præcisè negârunt, quòd magnum vitæ ac fortunarum suarum discrimen se adituros dicerent, si fortè id urbis Præfectus aliquando resciîsset. Quocirca ut nos in suas naves conscendere paterentur, nullo modo adduci potuerunt. Verumtamen inventus est, non sine Dei consilio (ut arbitror) mercator Cantoniensis sanè honestus, quocum aureis ducentis decidi. Is pollicetur transmissurum nos parvâ naviculâ, ubi præter liberos suos, & servos vernaculos paucos, nemo sit: ut si fortè urbis Præfectus rem odoretur, nautarum indicio rescire non possit, quis me Cantonem advexerit. Idem recepit, se triduum aut quatriduum domi suæ nos cum nostris libellis ac sarcinulis asservaturum; tum summo manè ad urbis portam viámque deducturum, quæ rectà ad Prætorium ferat. Mox ego Præfectum conveniam scilicet, eíque demonstrabo, me eo consilio venisse, ut Sinarum Regi divinam cælestémque legem exponerem; tum à Goano Episcopo ad Regem proferam litteras.

Non ſum neſcius, duo in hoc negotio inesse pericula. Alterum, ne Sina ille mercator acceptâ pecuniâ, in deſerta aliqua inſula nos deſtituat, aut in mare deturbet, rei occultandæ gratiâ: alterum, ſi Cantonem devecti erimus, ne Præfectus urbis omnium in nos exempla & cruciatus edat; aut certè in perpetuam redigat ſervitutem: quippe cùm peregrinis in Sinarum regnum ſinè fide publica intrare capitale ſit. Verùm alia præterea pericula impendent, occultiora, longéque majora, quæ percenſere longum eſſet; pauca tamen è multis exponam. Primum igitur periculum eſt, divinæ providentiæ ac benignitati diffidere, cùm præſertim Deo auctore, ejúſque unius causâ huc contenderim, eo conſilio, ut huic genti prædicarem ſanctiſſimam illius Legem, atque unicum Filium JESUM CHRISTUM, noſtræ ſalutis auctorem. Itaque cùm ipſe pro ſua benignitate hanc nobis mentem injecerit, nunc de ejus ope ac præſidio, propter pericula quæ ſe offerunt dubitare, majus utique ac certius periculum eſſet, quàm quicquid nobis periculi ejus hoſtes poſſunt intendere. Etenim neque diaboli, neque eorum ſatellites atque adminiſtri quicquam nocere nobis queunt, niſi permiſſu præpotentis Dei. Qui ſi nobis præſidio ſit, quàm facilè omnia pericu-

ricula propulſabit? Huc accedit, quòd CHRISTO Domino parebimus admonenti: *Qui amat animam ſuam in hoc mundo, perdet eam; qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.* Quod congruit cum illa ejusdem voce: *Qui ponit manum ſuam ad aratrum, & reſpicit retro, non eſt aptus regno Dei.* Quare cùm nos hæc animorum pericula periculis corporum majora ac certiora eſſe videamus; optimum ducimus, mortalis vitæ pericula ſubire, ne in æternæ ſalutis discrimen incurramus. Quid multa? fixum omnino & ſtatutum eſt nobis in Sinas pervadere. Secundet modò Deus iter ad ſuæ religionis amplificationem: quò minùs diaboli, eorúmque adminiſtri omnes manibus pedibúsque conentur omnia, non recuſo: *Si enim Deus pro nobis, quis contra nos?*

Spero me navibus, quæ noviſſimè hinc ſolvent in Indiam, litteras ad vos de meo in urbem Cantonem introitu daturum. Comites mei perpetuis morbis conflictantur. Ad hæc, Sinam, quem interpretem adduxeram, patrii ſermonis jam oblitum eſſe comperi: ſed nactus ſum alium interpretem, non modò linguæ, ſed domeſticarum etiam litterarum peritum, qui ſe mihi ſuâ ſponte comitem itineris obtulit. Deus illi & in hac vita, & poſt mortem pro me referat gratiam.

Ora,

Ora, quæso te, Deum, ut hominem in suscepto consilio propositóque confirmet. Sinæ omnes honesti, quicumque nos nôrunt, nostrâ consuetudine admodum delectantur, nósque in Sinarum fines penetrare percupiunt. In animum enim induxerunt suum, iis quos circumstare nos vident libris, legem aliquam suâ meliorem contineri. Et quamquam id eò fortasse accidit, quòd cupidi sunt rerum novarum; tamen peroptant nos in Sinarum fines intrare. Attamen ipsi nos in Sinas devehere, propter eam quam dixi caussam, omnino recusant. Mercatorem illum, quicum transegi, indies expecto. Utinam is expectationem non frustretur meam. Quod si accidat, incertum est, quid acturus sim; utrùm in Indiam reversurus, an ad Sionis regnum trajecturus, ut comitem me addam legato, quem Rex Sionis ad Sinarum Regem brevì missurus dicitur. CHRISTUS Dominus noster auxilio nos & consilio juvet, ut in cælestis gloriæ Societatem aliquando veniamus. Ex insula Sanciano. XI. Kalendas Novemb. M. D LIII.

## Epistola XVI.

### Jacobo Pereriæ.

Summarium. *Optimè de se merito gratias agit,*

*agit, eiq; secundùm Deum Sinensis missionis auspici fructum, si quis erit, tribuit. Agit de alia via, si, quà modò conatur, in regnum Sinarum non penetrârit.*

*Gratia & Charitas D. N. &c.*

SCRIPSI ad te ex freto Sincapurano, quid mihi hactenus accidisset. Nunc quod ad te scribam nihil habeo, nisi quàm liberaliter sim toto hoc itinere à tuis vel procuratoribus vel familiaribus tractatus. Equidem tibi propterea gratiam habeo vel maximam; satis enim apparet, perspectam esse eis egregiam tuam erga me voluntatem. Deus tibi gratiam cumulatè pro me referat, quando ipse non possum. Ego verò dum vivam, Deo supplicare non desinam, ut tibi commodam valetudinem, suámque gratiam in hac vita, post mortem sempiternam gloriam & felicitatem impertiat. Et quoniam ne his quidem officiis magnitudini tuorum erga me meritorum respondere me posse intelligo; à Sociis omnibus, qui versantur in India, idem ut faciant vehementer peto. Quòd si mihi & Evangelio aditus in Sinas patebit, profectò id tibi potissimùm tribuetur secundùm Deum: ita apud homines, & apud Deum ingentem ejus rei, & gratiam & gloriam feres. Atque adeò, quicumque sive

ſive è Sinis ad CHRISTI Fidem ſe transferent, ſive è Societate noſtra apud Sinas verſabuntur, perpetuò Deum pro te orare debebunt.

Jam cognôſſe te arbitror, de trajectu in Sinas jam tranſegiſſe me cum Cantonienſi mercatore. Is Emmanueli Clavi, qui has tibi litteras reddet, bene notus eſt, propterea quòd ſervitute exemptus, apud eum dies aliquot eſt diverſatus. Pactus ſum magnum piperis numerum, quod eſt Pardais cc. ut me Cantonem trajiciat. Hunc ego expecto indies. Utinam ea res (uti ego exopto) Deo gloriæ ſit & honori. Si quid in eo inerit meriti, vel hominum vel Dei ipſius judicio, totum id erit tuum: ſiquidem tuis copiis geruntur omnia. Sin autem (quod Deus avertat) me ſpes fefellerit; Malacam, Deo approbante, hoc ipſo anno revertar, ſi te proximo anno legatum in Sinas venturum eſſe certò ſciam. Sed quoniam id planè ambigitur, deliberatum eſt mihi in Sionis regnum transmittere, ut cum legato proficiſcar, qui ab Rege Sionis ad Sinarum Regem mittitur. Itaque te etiam atque etiam rogo, quicquid conſtitueris, ad me in Sionem ſcribere ne graveris; ut ſi venias, in Comajo aut alio quopiam Cantonis portu tibi præſtò ſim. Faxit Deus, ut te in Sinarum Re-
gi

gis aula nos aliquando videamus. Me quidem (ut opinio mea fert) si in Sinas penetrâro, aut servum in Cantonis carcere, aut certè in Pachini regia, ubi Rex perpetuum domicilium habere dicitur, vinctum offendes. Deus nos pro sua immensa benignitate, in Sinarum regno; sin minùs, certè in cælesti jungat & copulet. Amen. Pridie Idus Novembris. M. D. LII. Ex portu Sancianensi.

## EPISTOLA XVII.

### P. Gaspari, Rectori Goani Collegij.

Summarium. *Monet ut Malacæ ritè pronuntiandam curet excommunicationem, in quam inciderunt, qui sibi, Legati Apostolici nomine Sinas petenti, injurioso ausu, obstiterunt. Hortatur ut exemplo suo ineptos homines in Societate non toleret, tametsi solus relinqueretur. Subjicit dæmonem niti suos, ut vocat, homuncionis Sinas tentantis conatus infringere.*

*Gratia & charitas D. N. &c.*

SCRIPSI ad Franciscum Perem, ut Malacâ discederet quamprimùm, & cum omnibus Sociis in Indiam se reciperet. Etenim nunc

nunc quidem tanto bono videtur indigna civitas illa, quæ causa fuerit tanti mali: quippe cùm nostrum iter in Sinas, divinæque gloriæ amplificationem per summam injuriam impediverit. Iterùm tibi mando, ut recentissimum illud meum mandatum summo studio diligentiáque conficias; hoc est, ut transigas cum Episcopo, uti Malacæ excommunicationes ritè pronuntiandas curet, in quas inciderunt ij, qui nostro itineri obstiterunt. Siquidem Legati Apostolici nomine Sinas petebam. Id adeò mihi curæ est duabus de causis: primùm, ut Malacensis Præfectus intelligat, quàm grave in se admiserit scelus, & quàm gravem pœnã incurrerit; ne posthac is sit in alios, qui in me fuit: deinde, ut nostri Ordinis homines, qui deinceps rei Christianæ causâ Malacam, Molucũ, Japoniam, Sinas petent, retinere audeat nemo. Et quoniam plerosque homines hodie magìs hominum pudet, quàm Dei; quicumque ejusmodi sunt, tantæ notæ, atque ignominiæ metu à tam projecta audacia absterreantur. Illud etiam te oro, ut cetera, quæ tibi reliqui præcepta, serves diligenter; maximè verò, ut paucos in Societatem, eósque idoneos adsciscas; adscitos autem diu multúmque spectes ac probes, eorúmque virtutis periculum

lum facias & ſæpe & accuratè. Vereor enim, ne multi & jam admiſſi ſint, & quotidie admittantur in Societatem, quos dimitti excludique præſtaret. Quare iſtiusmodi hominibus talem te præſtes velim, qualem ego & Goæ multis, & hic comiti meo me præſtiti; quem cùm minimè aptum eſſe perſpexiſſem Societati, exemi atque dimiſi. Hoc tu quoque inſtitutum ſedulò & conſtanter tenebis; ſic prorſus, ut nullus te caſus ab incepto deterreat, etſi relinquaris ipſe ſolus.

Quàm iniquo animo ferat diabolus, Societatem in regnum Sinarum invadere, nullis verbis exequi poſſum. Id ego tibi liquidò affirmare queo (neque enim ullus relinquitur dubitationi locus) humani generis hoſtem nullo modo ferre poſſe, aditum nobis in hoc regnum patêre. Nam incredibile eſt, quibus ille, quàm multis modis & pugnârit & pugnet, noſtros ut conatus avertat. Verumtamen magnam in ſpem ingredior fore, ut CHRISTUS Dominus noſter ſatanæ inſidias eludat omnes. Ac ſanè magno illi honori & gloriæ, per homuncionem ingentes diaboli illos ſpiritus comprimi, intolerandámque ſuperbiam frangi. Deus

gi. Deus id nobis pro ſua infinita boni-tate largiatur; idémque & tecum maneat, & me comitetur; atq; omnes pariter per-ducat in cælum. Idibus Novemb. M. D. LII. ex portu San-cianenſi.

FINIS LIBRI QUARTI.







# S. P. FRANCISCI XAVERII *EPISTOLARUM LIBER V.*

## EPISTOLA I.

### S. Ignatio Romam.

Summarium. *Spondet S. Patri, & Romanæ Societati crebram litterarum communicationem. Affectus Cardinalis Inureæ erga Franciscum & Societatem; Legati erga eundem studia, in æde Lauretana pietas. Salutat omnes.*

*Gratia & charitas D. N. &c.*



Ie Sancto Paschæ accepi literas à Te perlatas in fasce, ad Dominum Legatum misso, & cum iis tantum gaudij ac consolationis, quantum non exprimo; DEUS Dominus noster scit. In hac deinceps vita non aliter credo quàm per literas congrediemur; in altera *facie ad faciem* cum multis amplexibus. Superest igitur, ut hoc exiguo nobis reliquo tempore mortalis exilii crebris invicem Epistolis consolemur. Equidem desiderari hac in parte meam diligentiam non sinam. Persuasus enim illo tuo, quo me digredientem monuisti, sapienti dicto: Colonias Metropoli-

polibus, ut Filias Matribus, usu mutuæ notitiæ connecti oportere; planè decrevi dare operam, ut & Ego, & quæcunque umquam ubivis terrarum mecum erit nostræ Societatis Pars, Tibi ac Societati Romanæ nunciorum atque officiorum commercio jungamur; sicque ad vos cuncta nostra minutè ac distinctè referamus, ut Filiolæ solent, cùm Matribus rationem reddunt. Egi per otium & ex animi mei sententia cum D. Cardinali Inurea, prout ea de re scriptum mihi mandatum dederas. Excepit me humanissimè, offerens perofficiosè favorem nobis suum in omnibus, quæ suæ potestatis forent. Bonus senex cùm ab eo discederem, amplexatus est me osculantem manus ejus. In medio ejus, quem cum illo habui sermonis abjeci me in genua, & nomine totius Societatis osculatus ei sum manus. Quantùm ex iis, quæ mihi respondit intelligo, multùm ille probat nostrum procedendi modum. Dominus Legatus me tot officijs cumulat, ut numquam finis sit, si enumerare velim. Nec scio quomodo inducere possem in animum illa admittere, nisi cogitarem, & quasi pro certo haberem, mihi ista apud Indos nihilò minore pretio, quàm vitâ ipsâ rependenda. In Templo Dominæ Nostræ Laureti, Dominicâ Palmarum excepi ejus Confessio-

fessionem, & ei Sacram Eucharistiam ministravi. Idem præstiti multis ex ejus Domo. Feci Sacrum in Sacello Dominæ Nostræ; & Bonus Legatus egit, ut secum Sacram Communionem perciperent intra Sanctam illam Ædem omnes sui domestici. Postea die Paschæ iterum confitenti Absolutionem, & confesso Christi corpus impertii; itémque aliis ex ejus familia probis viris, & religioni deditis. Sacerdos familiaris Domini Legati multùm se istic commendat orationibus vestrûm omnium. Is mihi spopondit, se iturum nobiscum in Indias. Fac salutes à me Dominam Faustinam Ancolinam; & dicas illi, nisi grave est, fecisse me unum sacrum pro suo & meo Vincentio; & cras aliud oblaturum pro ipsa. Præterea, certò sibi persuadeat, me numquam ipsius immemorem fore; ne tum quidem, cùm ero in Indiis. Meo quoque nomine revoca, quæso, in memoriam D. Petro, fratri meo charissimo, ut quemadmodum mihi promisit confessurum se peccata, & Sacram Eucharistiam percepturum, sic faciat; méque litteris certiorem reddat, an id, & quoties præstiterit. Quod si velit gratificari Vincentio suo & meo; dic ei meo nomine, ut ignoscat illis, qui occiderunt ejus filium; quandoquidem pro illis Vincentius multùm orat in cœlo.

cœlo. Hîc Bononiæ plus occupationis habeo in audiendis Confessionibus, quàm nuper isthic in S. Ludovici. Omnes impensè saluto. Quod singillatim quemque ac nominatim non memoro, non est (mihi credant verè loquenti) oblivionis culpa. Bononiâ pridie Kal. Aprilis, Anno M. D. XL.

*Vester in Christo Frater & servus*

Franciscus.

# EPISTOLA II.

## Eidem.

Summarium: *Accepta à Deo & in Itinere Lusitanico beneficia commendat. Legati & comitum ejus pietas; grave periculum stabuli Præfecti non sine miraculo discussum. Æger Rodericus sub adventum Xaverij revalescit Olyssipone; Affectus Olyssiponensium erga Xaverium, & Divina: Francisci, & Sociorum cum Rege Lusitano congressus; ejus erga Societatem studia. Dubitat de retinendis in Lusitania socijs. Auxiliares copias, in Indias requirit, ejus & Sociorum Conciones Olyssipone.*

*Gratia & charitas D. N. &c.*

MUlta & continua Christi Domini Nostri beneficia experti sumus toto itinere

re, quo Româ in Lusitaniam venimus, in quo consumpsimus tres menses. Eo tanto tractu locorum & temporum, in tot tantisque difficultatibus ac laboribus usum semper fuisse optimâ valetudine D. Legatum, & universam ejus familiam à maximo usque ad minimum, res est, unde multas laudes & gratias Christo Domino Nostro reddi par sit. Maximè quòd ultra communem suum concursum, peculiarem suæ manus protectionem adhibuit, ad nos cunctis periculis liberandos; uti & ad inspirandam D. Legato mentem ac prudentiam continendæ tam sanctâ Disciplinâ Familiæ suæ, ut Religiosæ Communitati similior, quàm sæculari Domui videretur. Id ille assequebatur frequentando ipse Sacramenta Confessionis & Eucharistiæ: unde fiebat, ut famuli ejus idem ultro, illustris exempli vi tracti, facerent, tam frequenter & tanto numero, ut, cùm facilè provideremus inter eundum vix in hospitiis, per loci ac temporis angustias, commoditatem affore satisfaciendi eo in genere tam multis, necesse haberem de via interdum deflectere, equóque desilire; ac loco idoneo captato, audiendæ parti servulorum operam præoccupare. Dum iter esset adhuc nobis per Italiam, placuit Domino Nostro mirabiliter Numen suum ostendere in

uno ex Famulis D. Legati, Comitibus nostris, illo ipso, quem Romæ vidistis conceptum propositum suscipiendæ Vitæ Monasticæ suspendisse primùm segni & ignavâ morâ, ad extremum omisisse. Rivus occurrit ingens incerti vadi. Ad eum tentandum, suâ istum temeritate perurgente, nos omnes reclamabamus. Frustra id quidem, nihilo enim minùs per dubium torrentis alveum eques ille progressus est. Non multùm processerat, cùm impetus ruentis amnis equi vires eluctatus, eum cum equite abripuit, spectantibus & miserantibus è ripa cunctis nobis: tantúmque momento in spatium avexit quanto ferè intervallo vestrum diversorium Romanum à S. Ludovici Templo dissitum est. Hic dignatus est Deus Dominus Noster audire ardentes preces, quas in illo spectaculo ad eum fudit servus ejus D. Legatus, rogans cum suis omnibus *non sine lacrymis* pro illius infelicis salute humanitus desperata. Annuit Dominus, & manifesto miraculo, præsenti exitio perditum subtraxit. Gerebat is in Legati Comitatu Officium Stabulo Præfecti: qui sanè cùm præceps vorticibus ferretur, multò maluisset in Monasterio esse, quàm ubi tunc erat. Isque illum tum maximè scrupulus angebat; memoriam ingerens omissæ opportunitatis, quam tum

frust

frustra quantovis redemptam cuperet. Hoc ipse mihi fassus postea est; affirmans, minùs se in tam acerbo casu consternatum horrore periculi præsentis, quàm verbere conscientiæ acriter exprobrantis vitam inconsultè actam sine ulla provisione mortis. Addebat, præsertim se tali articulo turbatum serâ Pœnitentiâ ingressûs in Monasterium dilati, quò se à Deo vocari non dubiè senserat. Adeóque plenus his cogitationibus nobis est redditus, ut omnes ultro admoneret, ne similia peccarent. Verbis dabat pondus vultus & frons loquentis, tam ultra solitum pallore ac sensu discriminis mutata, ut redire videretur ex Inferis. Sanè de pœnis, quæ ibi tolerantur, multa erat ejus & pathetica Oratio, qualis illius foret, qui esset expertus. Quibus frequenter inserebat: planè ita fieri, ut qui per vitam de se ad mortem comparando non cogitârit, ei mortis necessitate ingruente, Dei meminisse non vacaret. Hi erant boni viri sermones, non hausti ex lectione, doctrina, vel meditatione studii; sed propriæ sensu experientiæ dictati. Non parum, hæc reputans, commoveor incuriâ simili multorum vitæ usu nobis & amicitiâ variè notorum, quos differre pariter video executionem bonarum cogitationum, sanctorúmque desideriorum Deo ser-

viendi, quibus impelli ſe fatentur. Maléque metuo, ne tempus iis quoque tale ſuperveniat, quo tempore facere, quod decreverant ardentiſſimè optantes, nullâ ratione poterunt. Quo die Ulyſſipponem pervenimus, offendi Magiſtrum Simonem in expectatione acceſsûs quartanæ, eâ ipsâ horâ ſtatam, ut putabatur, habituri redeundi vicem. Cæterùm tanta eum ex adventu meo lætitia inceſſit (non minor credo, quàm quâ Ego ex ejus aſpectu amplexúque affectus ſum) ut languorem diſcuſſerit. Nam nec eo die, nec deinceps ullum ejus ſenſum habuit. Eſt autem ab appulſu huc noſtro jam menſis evolutus. Itaque in plenam modò valetudinem confirmavit ſe; multúmque in vinea Domini, non ſine ubere fructu laborat. Magnus hîc numerus hominum eſt amicè ac benevolè in nos affectorum: ac ſanè tantus, ut moleſtè feram, fieri per nimiam multitudinem non poſſe, ut cunctis ſingillatim ea nos Viſitationum & Salutationum officia reddamus, quæ pro notabili ac conſpicua dignitate plerorúmque ipſis deberemus, ſi ea obire per tempus liceret. Notavi etiam plurimos ad bonum propenſos, & Deo Domino Noſtro ſervire cupientes, quos ſaluberrimum eſſet juvari quibusdam exercitiis ſpiritualibus, ad concipiendum Pro-

poſi

positum statim executioni mandandi, quod *de die in diem* differunt. Quoniam quantumcunque festinent Homines in exequendo, quod faciendum nôrunt, vix fugiunt, quin rationem reddendam morarum habeant. Quare multùm attentionis adhiberi convenit ad amoliendas cunctandi causas. Hujus officii plena cognitio salutares multis stimulos admovet, per quos è veterno quodam excitati sentiant; se non inventuros pacem ubi pax non est; præsertim ii, qui contra omnem rationem procurant, Deum eò pertrahere, quò ipsi volunt; recusantes eò ire, quò à Deo Domino Nostro vocantur; sinentésque agi se suis potiùs ipsorum inordinatis affectibus, quàm bonis desideriis in eorum mentes divinitus immissis. Digni sanè quibus misereamur magis, quàm quisquam invideat; quippe quos ire ac niti cernimus per tam acclivem abruptámque viam: & improbo conatu laboriosi ascensûs nihil aliud, quàm præcipitii periculum, imò certum ruinæ infelicis exitium quærere. Elapsis ab adventu in hanc regiam Civitatem nostro tribus aut quatuor diebus, accersivis Nos Rex, & benignissimè excepit. Erat solus in cubiculo cum Regina: ubi cum illis per horam, & aliquantò ampliùs fuimus. Quæsierunt ex nobis multa singillatim de

nostra vivendi ratione, déque casu ac modo, quo cognoscere inter nos, & coire in Societatem contigit, tum quò spectarent nostra consilia prima, postremò de persecutionibus, quas passi Romæ sumus. In quo valde illos delectavit, cùm narraretur modus, quo detecta tandem est veritas. Laudabántque quòd constanter ac fortiter promovissemus rem usque ad extremum judicii exitum, ac significabat Rex, cupere se videre sententiam quâ sumus absoluti. Communis hic sanè sensus est omnium, piè ac prudenter factum à nobis, quòd nullâ conditione dimoveri nos passi sumus ab urgendo usque ad sententiæ ultimæ prolationem litis cursum: passímque tantùm id commendant, ut non dissimulent sibi videri fore, ut nisi sic egissemus, quemadmodum egimus, nunquam relaturi fuissemus ex nostris ministeriis fructum ullum. Itaque finem, ut dixi, non faciunt prædicandæ illius nostræ constantiæ, usque ad sententiam, quæ veritatem denique liquidam ostenderet, obfirmatè durantis. Ut ad Regem & Reginam redeam, placuit multùm ipsis, quòd audierunt clarè de forma ac ratione nostrarum Domuum, ministeriorúmque & totius Instituti consilio ac scopo. Inter hæc Rex vocari jussit Filiam suam Dominam Infantem, & suum Filium Regni

Prin-

Principem, ut illos videremus. Commemoravit benignissimè quot filios & filias sibi Dominus dedisset, quique ex illis mortui, qui superstites essent. Uterque tam Rex, quàm Regina summum erga nos affectum declarârunt. Studiosè nobis commendavit Rex eo ipso die, quo primùm eum vidimus, ut confessiones audiremus nobilium Adolescentum qui in ipsius comitatu essent. Nam ipse mandatum edidit, ut Nobiles Juvenes omnes, qui aulam ejus frequentant, octavo quoque die peccata Confessario aperiant. In istius executionem mandati, & in ejusmodi Adolescentes, ut nos invigilaremus seriò injunxit. Cujus curæ suæ hanc rationem dabat. Existimare se ajebat, si à puero insueverint ejus loci Adolescentuli cognoscendo venerandóque DEO, deinde cùm maturuerint, viros bonos & frugi evasuros. Porrò si Nobiles quales esse debent fuerint, sine dubio plebem ad illorum exemplum se formaturam: quare spem restituendi mores omnium Sæcularium Regni, in Nobilium Puerorum proba institutione verti: nec enim esse dubium, quin illius primi Ordinis conspecta Sanctitas bonam Regni partem imitatione trahat. Magnam nobis præbet Dei laudandi causam hic religiosus optimi Regis animus, & zelus in promovenda glo-

tia Dei Domini Nostri; támque pia propensio in res omnes bonas ac sanctas. Nos omnes, qui de Societate sumus, plurimùm illi debemus ob benignissimam in cunctos voluntatem, sive qui isthic estis, sive qui hîc degimus. Retulit mihi Legatus, qui cum Rege egit, postquam eum nos eramus allocuti, dixisse sibi Regem: sibi verò jucundissimum futurum, si omnes, qui hactenus in Societatem nomen dedimus hîc apud se congregare ac habere posset; etiamsi in eos alendos ornandósque partem magnam suarum opum impendere oporteret. Scimus multos ex Amicis nostris conari hîc impedire discessum in Indias nostrum; quòd illis videatur, plus fructûs nos hîc reportaturos ex Confessionibus, sermonibus familiaribus, tradendis Exercitiis Spiritualibus, & exhortandis cunctis ad frequentes Confessiones & Communiones; denique exercendâ hîc simili docendi, instandíque diligentiâ ejus, quâ uti in India decrevimus. Inter eos, qui sic sentiunt est Confessarius, est & Ecclesiastes Regis, cui uterque authores sunt, ut nos hîc retineat spe uberioris fructûs. Diversa quorundam aliorum oratio est mira de proventu ex nostra opera in Indiis sperando loquentium. Sunt autem, qui hæc dicunt, idonei talium authores, qui mul-

tis annis in India fuerunt. Hi animadvertisse se affirmant, Gentes illas optimè dispositas ad suscipiendam Religionem Christi Domini Nostri, si ejus interpretes ac Magistros nanciscantur nostri similes, hoc est quorum procedendi modus tam longè ab omni specie avaritiæ remotus sit. Itaque si istam, quam hîc exhibemus abstinentiam, neglectúmque humanorum commodorum, lucrique ac quæstûs, illic quoque teneamus, sine ulla dubitatione futurum ajunt, ut paucis annis duo aut tria Regna Idololatrarum ad ChristiDomini nostri fidem convertamus. Neque enim cunctaturos illos Populos in credendo nobis, ubi planè perspexerint, nihil aliud nos quærere, quàm salutem animarum. Hæc nobis à Viris talibus, qui in re præsenti versati sint, & multis, ut dixi, annis in Indiis fuerint, asseverata, ingentem fiduciam ingenerant fructûs uberrimi ad Dei Domini nostri obsequium inde colligendi. Multam hîc diligentiam ponimus in conquirendis Sacerdotibus, qui solo proposito sibi præmio divini obsequii & salutis animarum, ire in Indias nobiscum velint, nec in ulla re alia magis hoc tempore nobis videmur inservire ac gratificari Domino Nostro posse, quàm in Sociis ejusmodi nobis adjungendis. Nam si manipulum vel duode-

cim solùm talium Sacerdotum congregare possemus, qui in consilii istius ac propositi Societatem unanimiter conspirare nobiscum vellent, citra omnem dubitationem est, nos magnum operæ pretium facturos. Jámque aliqui ejus generis hîc se nobis offerunt. Incidimus in Sacerdotem nobis aliàs Lutetiæ Parisiorum notum, qui promisit venturum se nobiscum, & usque ad mortem in vitæ ac consiliorum Societate perstiturum. Illum credimus satis certum nobis fore: dedit enim argumenta & pignora idonea constantis voluntatis. Est & alius Subdiaconus, brevî Sacerdos futurus, qui se ad idipsum offert magnâ devotione. Præterea Doctor quidam Medicus familiariter nobiscum olim Parisiis versatus, promisit se navigaturum nobiscum in Indias, ibique facultate suâ medendi eatenus tantùm usurum, quatenus id conducet ad juvandas, & ad salutarem Creatoris sui cognitionem pertrahendas animas, citra ullum quæstum temporarium. Hoc semper maximè spectamus, ut ii, quos nobis adjungimus, ab omni avaritia alieni sint. neque id ipsum nobis sufficit, nisi ab omni quoque avaritiæ specie sint disjunctissimi: ita ut nec in nobis, nec in familiaribus nostris quidquam conspiciatur, unde suspicio oboriri cuiquam possit, temporalia nos
potiùs,

potiùs, quàm spiritualia captatum ac conquisitum ire. Egit Rex cum Episcopo nobis amico, itémque cum Confessario suo, de nobis ad palàm in Templis perorandum è sacro pulpito adhibendis. Id nos differebamus in aliquot dies, initium à rebus humilioribus ducere volentes. Continuimus ergo nos, nec Concionum habendarum voluntatem ostendimus; utcunque qui nos nôrunt magnam audiendi nostras ex Ecclesiasticis pulpitis orationes cupiditatem præseferrent. Accersivit nos quadam die Rex, & post multa alia dixit nobis; gratum sibi fore, si concionaremur. Tunc sanè ad id agendum nos obtulimus alacritate magnâ; non solùm studio atque officio obsequendi Majestati ejus; sed etiam spe, quâ in auxilio Christi Domini Nostri fundata nitimur, collocandæ, Deo favente, non inutiliter operæ ad fructum animarum. Incipiemus octavo die à proxima Dominica, nec dubitare nos sinit de aliquo prospero successu benevolentia, quam in nos præcipuam ostendunt Cives hujus Urbis: quod etiam atque etiam Dominum nostrum oramus, hoc est: *ut augeat eorum fidem, qui de nobis aliquam expectationem habent.* Atque hanc ipsam opinionem, quæ de nobis hîc prospera percrebuit, speramus occasionem daturam Deo

Domino Nostro, pro ejus summa, cui unicè confidimus, bonitate si minus nostrâ, saltem hujus populi tantam ad nos audiendos fidem & devotionem ostendentis, causâ, dandi nobis scientiam & gratiam, *ut possimus consolari eos, & quæ vel necessaria vel utilia sunt ad animarum salutem dicere.* Ulyssippone V. Nonas Julij An. M. D. XL.

*Omnibus Vobis in Christo Charissimis*

Franciscus.

## EPISTOLA III.

### Eidem.

Summarium. *Petit Breve Apostolicum confirmatæ Societatis, & Spiritualia Exercitia offerenda Regi. Eadem duobus Theologiæ Licentiatis tradit, æstimationémque eorum promovet. Stradam pro Academia Conimbricensi poscit. Labores Francisci Olyssipone. Dubium de Indica expeditione. Petit instrui in modo, quo admittere debeat expetentes societatem.*

*Gratia & Charitas D. N. &c.*

POstquam scripsi valde prolixè de rebus, quæ hîc sunt, offerunt se aliqua, quæ tunc exciderant. inter quæ hæc sunt: Si Breve, quod tangit totam Societatem expeditum est,

eſt, mitte huc, oro Te, ejus exemplum. Nam Rex & qui nos hîc amant, libenter id videbunt: uti & ſententiam, quam pronunciavit Prætor, dum nos abſolvit. Rex petiit Exercitia cum deſiderio illa videndi: Si exemplum eorum ;è correctis videretur Tibi etiam mittere, gratiſſimum id foret Majeſtati ejus. Enimverò Magnus ille Princeps valdè benè affectus eſt erga totam Societatem: & videtur nihil non obſequii à nobis ei deberi, pro ingenti amore, quo nos proſequitur. Binas à Te litteras accepi utrasq; perbreves; alteras ſcriptas VI. Idus Junij, alteras Kalendis Maji. Domino Legato pergratum erit accipere à Te aliquam Epiſtolam. quas ad eum dediſti, perlatas ipſi, dum eſſet in itinere Româ huc, vix credas quantâ curâ conſervet. Si non poſſes ſcribere, fac ut quas Epiſtolas ſcribit Strada poſſimus ei oſtendere. Hoc ipſo temporis puncto accingimus Nos ad danda Exercitia duobus Licentiatis in Theologia, quorum unus eſt valde celebris Concionator, alter Pædagogus Fratris Regis, Infantis nimirum Domini Henrici: Procuramus etiam ab aliis perſonis non vulgaribus ea deſiderari; perſuaſi, quò majori deſiderio ea appetierint, eò plus ex iis utilitatis percepturos. Eſt unde laudetur Deus Dominus Noſter, dum videmus

hîc

hîc multos Sancta Confessionis & Communionis Sacramenta frequentantes. Statuesis quid tibi videatur de Francisco Strada; ecquid placeat mittere eum in Academiam Conimbricensem. Nam ibi nec illi, nec aliis deerunt necessaria ad eorum studia; quantùm sperare licet ex eo, quod qui illic degunt valdè bene inclinati sunt ad res omnes pias & bonas. quare non dubitamus, quin brevî in ista Universitate Collegium quoddam Nostrorum instituatur. Nos opportuno tempore non omittemus agere cum Rege de excitando Convictu Studiosorum, ad quod opus esset doceri nos, quæ tua mens sit circa formam institutionis ejus, modúmque in ea procedendi; tum de eo, qui isti Congregationi præfuturus est; quâque Sodales disciplinâ teneri debent, *ut crescant magis in Spiritu, quàm in litteris:* ut cùm alloquemur Regem, ei exponamus vivendi modum, quem observaturi sint, qui in nostris Collegiis operam litteris dabunt, quo de toto argumento scribi à Te ad nos fusè pervelim. Non apparet obstiturum quidquam, quo minùs illic ædificetur Domus excipiendis Magistris & Scholaribus; imò & aliæ Domus instituti nostri. Multi libenter, qui hîc sunt facerent nobis Domos, si adessent, qui eas incolerent. Episcopus Ami-

Amicus noſter dixit nobis: Regem nondum planè conſtituiſſe, an miſſurus nos in Indias ſit: quòd illi videatur: nos hîc non minùs ſervituros Domino Noſtro, quàm illic. Inſtiterunt duo Epiſcopi, quorum contraria ſententia eſt, nos nulla ratione detineri in his locis debere; ſed mitti in Indias: quòd futurum exiſtiment, ut aliqui Reges convertantur. Nos ſemper intenti ſumus adjungendis nobis Sociis: & credo non defuturos, prout ſe res ſenſim procedendo aperiunt. Si hîc remaneamus fundabimus aliquas domos. Faciliùs reperientur, qui aggregentur nobis ad hîc manendum, quàm ad illò eundum. Si tamen iverimus; & Deus Dominus Noſter annuerit nobis aliquot annos vitæ, inſtituemus cum auxilio ejuſdem Dei aliquas domos inter Indos & Æthiopas. Si Breve, quod tangit totam Societatem, non eſt adhuc expeditum, tamen da, quæſo Te, operam ut nobis detur facultas ædificandi Domos noſtræ Profeſſionis inter infideles. Sive autem hîc hærebimus, ſive navigabimus ad Indos, per amorem & obſequium Dei Domini Noſtri obſecro Te, ſcribe ad nos modum & ordinem quem obſervare debemus in aggregandis ſociis, idque *multum ad longum*, quandoquidem clarè perſpicis exiguitatem noſtri Talenti. Unde

niſi

nisi nos adjuves, ob nostram imperitiam negoriandi, omittetur occasio promovendi majus obsequium Dei Domini Nostri. Vale. Ulyssippone, VII. Kalend. Augusti.

*Annus & subscriptio deerant autographo, recisa à quodam, ut apparet.*

## EPISTOLA IV.

### Doctori Martino Azpilcuetæ Navarro.

Summarium. *Gratitudo Francisci erga Azpilcuetam; Desiderium mutui congressûs. Commendat ejus disciplinæ Blasium Lopez. Laudat ejus eruditionem.*

*Gratia & charitas D. N. &c.*

*Multum Reverende Domine.*

EX quo in hac Civitate sum, binas à Te litteras accepi *amoris, & pietatis erga me plenas.* Christus Dominus Noster, cujus amore motus es ad mihi scribendum, æquam tantæ isti charitati, & benignæ in me voluntati mercedem reddat; quando Ego; vel si cupiam, nequeo exolvere me hoc debito; nec satis vicissim respondere eximiæ tuæ in me immerentem, & inopem benevolentiæ. Quare agnoscens, & confitens debilitatem in hac parte meam: ac *per Dei clementiam*, cujus

cujus singulare donum est seipsum nosse, intelligens, *quàm inutilis ad omnia sim*, post aliquem mei quoad possem explendi officij conatum, *studui spem omnem, & fiduciam meam in Deo ponere, videns me nemini posse æquam gratiam referre, & hoc me plurimùm solatur, quòd potens est Deus sanctæ Animæ tuæ, & similibus retributionem amplissimam pro me dare.* Quod de meis rebus; ac *præsertim de meæ vitæ instituto* præ te fers velle cognoscere, gauderem equidem offerri nobis occasionem mutui congressûs. Nemo enim me paratior est ad omnia, quæ in hoc genere scire aves Tibi plenissimè communicanda. Nec despero fore, ut Deus mihi Dominus noster, inter multas, quibus me divina ejus Majestas benignissimè cumulat quotidiè gratias, hanc quoque adjungat eximiam, videndi semel in hac vita, & per otium alloquendi Te, priusquam cum meo Socio in Indias solvamus. Tunc sanè licebit plenissimam ex me coram audire rationem omnium eorum, de quibus per tuas litteras interrogas, tam multa enim illa sunt, ut *scripto id fieri commodè nequeat.* Ad id quod Epistola tua adjungit: *multa pro Hominum consuetudine de nostro Instituto dici:* hoc tantùm in præsens repono: *parùm refert, Doctor egregie, ab Hominibus judicari; præsertim ab iis,*

*ab ijs, qui priùs judicant, quàm intelligant.* Qui has Tibi à me reddet Blasius Lopez in clientelam, atque in disciplinam transcribi tuam peroptat. Hunc Ego amo plurimùm mei vicissim amantem; & pro ea necessitudine Te rogo, ut, *si preces meæ apud te quidpiam possunt (possunt autem multùm per Tuam Humanitatem)* excipias benignè, me tradente, ac commendante, prolixum istud ejus erga Te studium, quod offert; majorem in modum cupiens, & ut Patrono Tibi obsequi; & ut Magistro dare operam. Scribe igitur illum, quæso Te, in numero tuorum: in quo præterquam rem DEO Domino Nostro, ut spero, gratam, & haud dubiè Te dignam feceris; etiam singularem à me gratiam inibis. Obstringens, inquam, me Tibi magno, & peculiari beneficio, si curare bonum hunc Juvenem, & in studiis literarum dirigere, ac juvare dignaberis, sic animo, & studio paratum, ut adolescentiam suam meditationi doctrinarum, quibus Tu excellis, certum habeat impendere. Reputare Te convenit, quantum Deo debeas, qui Te isto eximio Talento insignis eruditionis locupletavit; non utique ad tuum unius fructum: sed ut multis prosis. Deus Dominus Noster nostræ pariter amborum semper custodiæ invigilet, Amen. Ulyssippone

pone IV. Kalend. Octobris, Anno M. D. XL.

*Tuus in Chriſto quoadusq; vixerit*

Franciſcus de Xavier.

## Epistola V.

### PP. Ignatio de Loyola, & Petro Codacio Romam.

Summarium. *Statum ſuum, & auctum Sociorum numerum explicat. Pænitentiæ apud Ulyſſipponenſes frequentatio. Excoluntur traditi cuſtodiæ Inquiſitorum. Mæror Regis ſuper morte Fratris, ac ob id impeditum ejus patrocinium. Petit impetrari à Pontifice Privilegia Ordinationis, Breviarij. Reſponſum.*

*Gratia & Charitas D. N. &c.*

HOs raptim deproperare verſus cogimur procincto, & multùm feſtinante Curſore. Paucis igitur ſic habetote: Bene valere nos, & creſcere. Jam ſex numero hîc ſumus; omnes ex notis nobis Lutetiæ Pariſiorum, præter duos, Paulum videlicet, & Emmanuelem de S. Clara. Domino enim noſtro placuit in tantum fortunare vota, & conatus noſtros, hiſce nobis ſociandis adjutoribus ad celebrandum nomen ejus inter Gentes, quæ ipſum non noverunt. Imputamus cœleſti favori, quem vos iſthinc concilie-

cilietis nobis, fructum, qui hîc existit ex nostris ministeriis, longè superior facultate, scientiâ, intelligentiáque nostris. Tam multi, iíque præstantis dignitatis ad nos accedunt aperiendæ causâ, per sacram Confessionem, conscientiæ, ut tempus desit, quo cunctis satisfaciamus. Dominus Princeps Henricus summus Inquisitor Regni hujus, & Regis Frater, sæpius commendavit nobis, ut curam susciperemus eorum in spiritu juvandorum, qui Sacræ inquisitionis custodiâ tenentur. Hos itaque quotidie adimus; damúsque operam, ut intelligant, quanto Dei beneficio in eo Pœnitentiæ Gymnasio exerceantur. Ad eos simul cunctos exhortationem habemus semel quovis die: tradimúsq; Exercitia primæ Hebdomadæ, magno ipsorum solatio, & fructu. Multi ex illis dicunt nobis, agnoscere se singularem in ipsos Dei gratiam, quòd operâ nostrâ primùm audiant plurima scitu necessaria ad salutem animarum suarum. Ante hos paucos dies misimus ad vos litteras Regis ad Pontificem, & ad Oratorem in Urbe suum, quibus commendat res nostræ Societatis, ut suas proprias. Ad commendatitias ejus generis in hac Aula impetrandas, jam non egemus interpositione ullius:per nos ipsi sufficimus. Nunc quoque Rex, nisi esset in gravi luctu ob mortem

tem Principis Eduardi, scripsisset iterum ad Sanctissimum Dominum, & ad Cardinalem SS. Quatuor Coronatorum, aliisque, quorum isthic favor necessarius, aut utilis rebus nostris est. Verùm ita, ut dixi, obrutus dolore, ac consternatus est acerbo funere Principis sui Fratris, ut domi clausus neminem admittat; & tristi justitio negotia pendeant. Concedendum pio mœrori justum spatium est. Ubi resederit post paucos dies, exorabimus ab optimo Rege literas, quàm voletis multas ad quoscunque designabitis. Quidam, qui studiorum cursum Parisiis confecit, vitæ Societatem nobiscum iniit. Nomen ei, Magister Consalvus Mederes. Nondum est Ordinibus initiatus. Per Dei Domini nostri obsequium oramus, impetrate, & mittite Rescriptum Pontificium, cujus vi extra consueta tempora tribus diebus festis promoveri per solitos gradus ad Sacerdotium rite possit, ut sacretur Presbyter, antequam solvamus in Indiam. Opus etiam esset impetrari Privilegium sex Clericis arbitratu nostro communicabile, utendi Breviario novo. Ea res usum haberet nonnullum ad faciliùs alliciendos quosdam, ut nos in Indias sequi vellent. Per Domini nostri amorem vos obtestamur, curate quàm celerrimè perferri ad nos Breve, quo dirigimur in In-

in Indias. Nam tempus eò solvendi instat. Magna nos spes tenet fructûs uberis ex illa nostra navigatione secuturi. Facite, oramus vos, quàm primùm sciamus, quid nos oporteat constituere de iis, qui aut Parisiis fuerunt studiorum causâ, aut eò ituri sunt. Respondeatis etiam distinctè ad ea, quæ scripsimus de Strada; déque consilio excitandi Contubernii Scholarium nostrorum in Conimbricensi Academia. Nam ad id, & pia ejus generis opera pronum hîc, paratúmque habemus favorem Procerum, & liberalitatem locupletum. Docete igitur citò nos, quid circa hæc decreveritis, ut prout jusseritis, efficere conemur, quod videbitur *magis expedire ad laudem DEI.* Rapit chartam è manibus Veredarius moras increpans. Ergo quod hactenus hîc scripsi, sit instar Epistolæ communis mecum Magistro Simoni: hujus autem, communis item utrique, subscriptio quasi sigilli vicem præstet, XI. Kal. Novembris, Anno M. D. XL.

*Utriusq; nomine,*

Magister Simon.

## EPISTOLA VI.
## Joanni III. Regi Lusitaniæ.

Summarium. *Hortatur Regem ad suscipiendam curam messis indicæ. Michaëlem Vazium*

*zium Proëpiscopum Indiæ commendat, eundem ad Indos remitti flagitat. Urget assistentiam Regis, suis in propaganda in Indiis fide laboribus. Statum Indiæ, suos item ac Sociorum labores describit.*

*Gratia & charitas D. N. &c.*

DOmine. Sic velim habeat Majestas Tua, itaque secum, quæso, reputet: Deum Dominum Nostrum Tibi potissimùm, præ cunctis, qui sunt uspiam Christianis Principibus, harum Indiarum Imperium tribuisse, ut experimentum Tui caperet; probarétque, quâ fide commissum negotium gereres, quoque officio grati animi beneficiis responderes. Neque in hoc tam spectâsse, ut regium tuum Fiscum ditaret proventu pretiosorum fructuum è terris exteris, & importatione Gazæ peregrinæ: quàm, ut suggerendis occasionibus heroicorum laborum, virtuti, ac religioni Tuæ benignam materiam offerret commendandi sese, adducendis zelo tuo ardenti, operáque per Te adhibitâ gnavorum Ministrorum, Infidelibus horum tractuum ad notitiam Creatoris, & Redemptoris Mundi. Jure igitur, ac meritò impensè commendat Majestas Tua iis, quos in has Regiones mittis, ut plurimùm elaborent in latè propaganda nostra Sancta Fide, Religionéque

que

que augenda; quandoquidem à Te intelligis rationem repetiturum Deum salutis tam multarum Gentium; quæ paratæ sequi viam meliorem, si quis ostendat, interim inopiâ Doctoris in cæcis tenebris, ac gravissimorum criminum sordibus, & suum Creatorem continuè offendunt, & suas ipsi animas miserè in æternum exitium præcipitant. Referet Majestati Tuæ, quæ usu comperta habet de docilitate harum nationum ad Fidem, déque cæteris opportunitatibus, quæ hîc se offerunt rei Christianæ bene gerendæ, Michaël Vazius, qui Proëpiscopus hîc fuit, hinc modò ad vos transiens. Is tantum sui desiderium Christianis harum partium relinquit, ut remitti huc eum statim anno sequenti ad consolationem, & præsidium ipsorum expediat: quamquam est, cur id decernas tuâ ipsius causâ. Nimirum, ut sic exoneres in tam idoneum Ministrum, officium, quo urgeris gravi, procurandæ in his locis Divinæ Gloriæ. Hoc enim tam fideli dispensatore, támque experiente, isti negotio præfecto, securè potes acquiescere: certus ipsum pro ea excellenti virtute, quâ tot annis probatâ venerationem totius hîc populi meruit, nullam prætermissurum occasionem Religionis, vel tuendæ, vel augendæ. Iterum etiam atque etiam rogo, atque obtestor Majestatem Tuam,

Tuam, ut si Dei obsequio, & Ecclesiæ rationibus consultum vis; si tot probis, & laudatis hominibus in India degentibus, si Christianis recèns conversis ad nostram Sanctam Fidem, si mihi denique quidquam in hac vita gratificari tanti ducis, jubeas ad nos redire Michaëlem Vazium Proëpiscopum, qui modò hinc discedit. Non aliæ mihi causæ hoc petendi sunt, quàm obsequium divinum, incrementum nostræ Sanctæ Fidei, & exoneratio Conscientiæ Majestatis Tuæ. Verè me loqui Deus Dominus noster mihi testis est. Scio enim quantùm talis viri desiderium, quanta necessitas in his oris sit. Ergo ut officio satisfaciam, & conscientiam ego quoque meam deonerem, dico, & profiteor Majestati Tuæ, omnino necessarium esse, si cupis promoveri, dilatarique nostram Sanctam Fidem in his Indiæ Regionibus, si optas eos, qui Ecclesiæ jam aggregati sunt, ab ea non avelli, & ad patrias superstitiones redire, offensos, ac deterritos multis injuriis, ac vexationibus, quas graves patiuntur, præsertim à Ministris Majestatis Tuæ, ut huc mittas Michaëlem Vazium, cui forte pectus, & constans animus est ad obstandum Persecutoribus Christianorum. Quamvis Episcopus sit Prælatus tam consummatæ virtutis, quàm revera est: tamen idem, quod Tua

Majeſtas non ignorat, jam ſenio gravatur, tótque morbis affligitur, ut ad labores ferendos, quos ejus Præfecturæ accurata functio ſummos in hiſce Partibus injungit, viribus corporis deſtituatur; utcumque animi vires in eo abundent, & in dies augeantur. Deus enim eum tantâ gratiâ dignatur, ut quantò magìs in carne debilitatur, tantò plus corroboretur in ſpiritu. Quâ ſolet mercede Deus Dominus noſter remunerari eos, qui multis annis perſeverârunt in ejus obſequio; impendendo vitam, & ætatem univerſam exantlandis ejus causâ laboribus maximis; quousque referant quaſi plenam victoriam de ſuo corpore ſpiritui rebelli. Talibus quippe indulget Deus eum aſſiduarum contentionum fructum in ultima ætate, ad exemplum, & perſeverantiam eorum, quibus præſunt, quo veluti rejuveneſcere ſe ſentiant renovatione ſpiritualium virium, eo maximè tempore, quo natura deficit, oppreſſa incommodis decrepiti ſenij. Ita ut eâ proportione, quâ ſenſim deficit vita in virtute transacta, mutetur corpus terrenum in ſpiritum cœleſtem. Quocirca Epiſcopo neceſſarium, nunc quidem, auxilium eſt ad tolerandos officij ſui labores. Peto Domine Rex, & per Dei obſequium obſecro, ut quâ ego rectiſſimâ intentione, ſinceriſſimáque veri-

veritate ſcribo hos verſus, pari Tua Majeſtas æquitate animi, ac favore benevolo excipiat, quod ſuggero. Nimirum ſolâ inſtinctus curâ honoris, & obſequii divini, deſiderióque vero exonerandæ conſcientiæ Tuæ regiæ, oro, & flagito, ut non tantùm per literas commendes tuis hìc Miniſtris res obſequij divini; ſed etiam puniendis iis, qui officio hac in parte defuerint, commendationem iſtam ſancias exemplis juſtæ ultionis. Enimverò periculum eſt, ne à Deo Domino noſtro Majeſtatem Tuam ad ſuum judicium citante (quod futurum eſt quando minus exſpectatur; nec ſpes aut ratio eſt id declinandi) ne tunc, inquam, à Deo irato audias: cur non in eos animadvertiſti, qui à Te authorati, Tibique ſubditi, mihi erant in India contrarii: cùm in eoſdem, ſi negligentes deprehenderentur in tuis vectigalibus, & Fiſci rationibus curandis, ſeverè vindicares? Nec ſcio, Domine, quanti ad tuam excuſationem momenti habitura ſit tali tempore reſponſio Tua, dicentis: equidem annis ſingulis, cùm iſthuc ſcribebam, res divini tui obſequii commendabam. Reponetur enim continuò: Atqui eos, qui tam ſancta iſta mandata ſuſque deque habebant, impune id facere ſinebas, cùm interim, quos comperera in rerum tuarum procuratione pa-

rum fidos, aut strenuos, debitis pœnis subjiceres. Per Ego Te, Domine, quo flagras, zelum Gloriæ Divinæ, pérque curam, quam habes antiquissimam expediendarum apud Deum rationum officii proprij, ac conscientiæ deonerandæ obtestor, atque adjuro Majestatem tuam: Mitte huc idoneum cum authoritate necessaria Ministrum, cujus una cura sit, prospicere saluti innumerabilium animarum, quæ hic periclitantur: quique in ea procuratione potestatem à Te habeat liberam ab imperio, & ditione illorum, quos vectigalibus, & regni tui negotiis propriè vacare jubes: ut sic in posterum incommoda, & scandala vitentur, quibus antehac multis, & gravibus res hic Christiana laboravit. Ineas Majestas Tua exactam rationem, & plenam secum summam colligat fructuum, & temporalium bonorum, quæ Dei beneficio ex Indiis percipis. Deduc inde, quod hic in Dei obsequium, & causam Religionis expendis: Sicque cunctis prudenter æstimatis, inter tuas regias, & Dei, ac cœlestis Regni rationes eam partitionem institue, quam gratus, & religiosus tuus animus æquam fore, bonámque judicabit: cavens, ne Creator rerum omnium parte nimis exiguâ largiter effusorum in tuum sinum bonorum angustè, ac parcè remuneratus à Te videri

videri possit. Nec cunctetur in hoc diutiùs, aut procrastinet ulteriùs Majestas Tua. Quantùm enim cumque festines, sera jam hæc fuerit diligentia. Urget me ad hoc scribendum vera, & ardens mei cordis erga Majestatem Tuam charitas; utique cùm audire mihi videar voces ex his terris missas ad Cœlum Indiæ conquerentis avarè secum agi à Majestate Tua, quòd Proventuum uberrimorum, qui ærarium ex ipsa tuum ditant, tantulam vix particulam in subsidium spiritualium ejus necessitatum longè gravissimarum conferas. Negotium salutis animarum in hoc tuo Indiæ populo, cui prospicere ex officio incumbit Majestati Tuæ, quo loco, ac statu sit cognoscere, opinor, non erit ingratum. Jafanapatæ, & in Ora Coulani facilè ante annum vertentem plus centenis Hominum millibus ad Christi Ecclesiam aggregabuntur. Non loquor de Insula Ceilano, cujus Regem, utinam multus ille, quo eum prosequeris, emolliret favor, ne tam durè Christum Jesum ab omni parte suæ ditionis exclusum vellet. Mittat huc quæso Majestas Tua quàm plurimos è Societate nostra, qui non modò sufficiant baptizandis, & Christianâ Doctrinâ imbuendis tam multis Hominibus, qui in hisce tractibus ad fidem Christi amplectendam inducuntur; sed etjam

jam ex quibus abundent, qui mitti possint Malacam, & in finitimas ei Urbi regiones, ubi nunc plurimi Christo dant nomen. P. Magister Jacobus, & Dominus Paulus in Collegio Sanctæ Fidei versantur. Hi quoniam copiosè ad Majestatem Tuam scribunt de illa Sancta Domo, nihil in præsens de ea dicam, nisi quod peto in summa parte gratiæ, ne gravetur Tua Majestas scribere Cosmo Agnezio, ut quando idem cæpit, idem promovit Sanctum illud Contubernium, perducere ipse ad fastigium, plenéque absolvere ne desistat; nec in hoc defatigetur: constitueram enim ei à Deo primùm, tum etiam à Majestate Tua dignam præclari operis mercedem. Franciscus Mansilla, & Ego versamur in Promontorio Comorini cum Christianis, quos fecit Michaël Vazius Proëpiscopus Indiæ. Nunc habeo mecum três Sacerdotes ex Indigenis ejus terræ. Collegium Cranganoris, quod opus est Patris Fratris Vincentii, magnis incrementis adolescit: &, si Majestas Tua pergat ei favere, ut hactenus fecit, è bono proficiet in melius. Est profectò cur plurimæ Deo gratiæ agantur ob fructum ad Christi Domini Nostri obsequium ingentem, qui ex eo Sancto Collegio existit. Unde, ut spes est verosimilis, paucis annis prodituri sunt viri Religiosi, qui Ma-
laba-

labarem universum, quantumcunque nunc vitijs, & erroribus oppressum, ad pudorem salutarem sui miseri statûs sint adducturi; & cæcis istis mentibus Christi Domini Nostri lucem illaturi, manifestaturique nomen ejus operâ, & ministerio discipulorum P. Fr. Vincentij. Oro, & obsecro Dei causâ dignetur ei favere Majestas Tua, tum cæterâ demonstratione regiæ benignitatis, tum indulgendo ipsi eleëmosynam, quam petit. Quandoquidem in his indiæ regionibus spero me diem extremum obiturum; nec unquam in hac vita visurum Majestatem Tuam, adjuva me quæso Domine Tuis orationibus, ut in altera vita, cum majori utique quiete, quàm quæ nunc est, videamus invicem; postulando à Deo Domino nostro pro me idem, quod ego vicissim pro Majestate Tua postulo; nempe ut in hac vita det Tibi gratiam sentiendi, & agendi id, quod in momento Tuæ mortis gauderes Te fecisse. Cocino XIII. Kalend. Februarias Anno M. D. XLV.

*Tuæ Majestatis servus*

Franciscus.

## EPISTOLA VII.

### Magistro Simoni Roderico è Societate JESV.

Summarium. *Operarios in Vineam Indicam mitti postulat, se & Mansillam precibus Sociorum commendat; de sociis & rebus Societatis singillatim edoceri petit, Beneficia à sede Apostolica obtinenda flagitat. Vetat mitti Socios in Indiam negotiis sæcularibus implicitos. Michaëlem Vazium ProEpiscopum Indiæ commendat.*

## *Gratia & Charitas D. N. &c.*

QUas Romam scribo litteras, eas ad Te patentes mitto, ut ipse priùs perlegas, & inde haustâ notitiâ rerum, quæ hîc geruntur, inciteris ad submittendos nobis quotannis quamplurimos poteris Operarios Euangelicos. Nam talibus, quamlibet multi veniant, abunde hîc erit, in quo ad Dei obsequium operam insigniter navent. Quod attinet ad tuam quoque ipsius in has oras profectionem, equidem si confidere possem vires in Te, ac robur corporis cum vigore animi paria facere, ultro Te invitarem, rogarémque multùm ne venire gravarêre: si tamen id P. Ignatius probaret, ejúsque is Tibi consilii author fieret: Pater enim noster est, cui obedire nos oportet, nec ejus injussu vel pedem movere fas est. De Jacobo Fernandio narro tibi: vidisse me illum Goæ ante has ferme quatuor hebdomadas salvum,

vum, & bene valentem. Jucundè atque ex animi sui sententia diversatur apud Collegium Sanctæ Fidei, in Contubernio Magistri Jacobi, & Domini Pauli; strenuéque ibi ad Dei obsequium contendit, eo fructu, ut eum nec istius commorationis, nec operæ pæniteat. Dixit mihi se fusè ad Te scribere; cui equidem magnopere censeo rescribas; quando tantùm Te amat, & tuâ causâ vult. Incredibilem ei voluptatem afferent tuæ litteræ; maximè, si in eis legerit; Tibi probari commorationem istam ejus in Collegio Goano, ubi nunc degit. Franciscus Mansilla, & Ego commendamus nos ferventibus orationibus tam tuis, quàm Sociorum omnium. Nos in has oras longè submoti, tenues velut vestri clientuli, è vestra ope, ac patrocinio spes ferè, ac rationes suspensas trahimus. Quare vestrâ charitate dignum est (universim omnes & singillatim unumquemque compello) vestræ inquam benignitatis, ac pietatis est, in vestris officio incensis, & sacrificiis, & precibus causam apud Deum nostram ágere; & quibus multis hic vehementer indigemus animi, corporísque subsidiis, ac bonis, ea nobis impetrare: adhibitis per vos eosdem etiam suffragiis Externorum, qui ductum in via spiritûs vestrum sequuntur. Multùm etiam Te rogo, & per

Dei amorem precor, ſcribe ad me, aut, ſi per te non potes, quibuſdam Sociorum, ut id agant, præcipe. Scribatis autem fusè; nec ſummatim, aut generatim ſolùm, ſed etiam particulatim, ac minutim indicando ſingulos Fratrum noſtrorum in Luſitania, Romæ, alibi degentium. Siquidem non alium reliqvum habemus in hac vita fructum animi majorem, quàm quem appellentibus huc è Regno navibus, literarum iſtiuſmodi lectione percipimus. Quam ſcribo Epiſtolam Sociis Romanis communicabis, niſi grave eſt, Petro Carvallio ſummo Amico noſtro; eîque nomine meo dices: me, quoniam in Fratrum noſtrorum, qui Romæ, quíque in Luſitania degunt, loco, ac numero ipſum habeo, exiſtimâſſe, quas ad illos do litteras, ad ipſum quoque pertinere; ac propterea ſeparatim ei non ſcripſiſſe. Idem perſuadeas velim ſingulis Fratrum noſtrorum, qui iſthic tecum ſunt: videlicet eum eſſe meum erga quemque ipſorum amorem verum, ut propriè unicuique ſcripturus fuerim, niſi unam iſtam Epiſtolam in ſolidum imputandum cuilibet, & ſic vicem multarum conſiderem habituram, utili ipſis, mihi neceſſario compendio. Quas gratias, & Indulgentias ad magnum uſum harum Regionum, inſtante Prorege, dudum petendas Româ curavi; de

quibus

quibus hoc anno ad Regem ſcribo, rogo Te, pro eo, quantùm conſolationem, ac profectum Fidelis harum partium Populi cupis, quantúmque Deo Domino Noſtro gratificari, atque obſequi ſtudes, da operam apud Regem, ut is meminerit, & velit per ſuum Romæ Oratorem earum expeditionem urgeri. Jam ante hos annos aliquot, & iterum hoc anno, ſcripſi ad P. Ignatium, ut impetret à Summo Pontifice Aræ maximæ Templi Goani, quo Sanctæ Fidei Collegium utitur, Privilegium ejus geminum, quo aliquot Romæ Altaria inſignita ſunt: ad quæ quoties quivis Sacerdos Miſſæ Sacrificium offert, toties unam purgantibus flammis animam liberat. Si & Tu nobis ad effectum hujus voti conferre aliquid potueris, & Proregi, qui id enixè poſtulat, & Sancto illi Collegio, ac Fundatoribus ejus, digniſſimis quibus optata contingant, rem feceris multò gratiſſimam. Fac quamplurimos iſtinc mittas in Indiam. Quò plures venerint, eò latiùs extendentur Eccleſiæ Sanctæ limites. Doctus experientiâ, quanto damno publico hic deſit copia virorum ardenti zelo ſtudentium incremento noſtræ Sanctæ Fidei, ac Religionis Jeſu Chriſti Domini Noſtri, tam ſæpe urgeo, ut ad hanc jam albam meſſem operarij mittantur. DEO, cui cordium in-

tima patent, notum eſt, quantopere Te videre cuperem; incredibiliter lætarer amplexando, & coram affando Te. Debes hoc virtuti Tuæ, & cæteris donis à Deo in Te largiter effuſis. Horum ſpes præſenti uſu fruendorum conſpectum mihi tuum multò deſideratiſſimum facit. Si congreſſus noſter mutuus ad rationes majoris, aut ſaltem paris obſequii Divini congrueret, quantis ex illo lætitiis penitus mulcerer, quantáque voluptate Tibi coram inſervirem, ſolus novit, ſolus ad verum æſtimat, quem arcana mentium non fallunt, Deus. Neminem patiaris amicorum tuorum in Indiam cum Præfectura mitti, ad regias pecunias, & negotia tractanda. Nam de illis verè illud ſcriptum capere licet: *Deleantur de libro viventium, & cum juſtis non ſcribantur.* Quantumvis de alicujus ſorte, quem nôris, & ames virtute confidas: tamen, mihi crede, obſta, & quantùm potes pugna, ne in iſtam objiciatur aleam; alioqui niſi confirmatus in gratia ſit, ſicut Apoſtoli fuerunt, cave ſperes perſeveraturum in officio, & conſtantem in innocentia futurum. Vis eſt, pene dixerim, quædam ineluctabilis, quâ in præceps protruduntur, cum ad lucri pellaciam, ad prædæ opportunitatem, ad famem cupiditatis præſenti guſtu irritatæ torrens ſuper-

nè ingruens exempli, ac consuetudinis incubuerit. Invidiam, & tantùm non culpam furto usus publicus detrahit: dum vix dubitatur: fieri non malè, quod impune fit. Ubique, semper, rapitur, congeritur, aufertur. Semel captum, nunquam redditur. Quis enumeret artes, & nomina prædarum? Equidem mirari satis nequeo, quot, præter usitatos modos, insolitis flexionibus, inauspicatum illud *rapiendi* verbum quædam avaritiæ barbaria conjuget. Inter hæc ubi evocantur ex hac vita, miserabile est, quàm malè subductis, quàm perditè confusis spei, ac salutis rationibus infelices animæ ad tribunal inexorabile sistantur. Michaël Vazius hìc Proëpiscopi munere functus, isthuc proficiscitur. Homo est, quo vix alium ardentiorem reperias zelatorem honoris, obsequiique Divini. Non dubito, quin visurus ipsum, allocuturúsque sis, & ex illa, quàm in eo animadvertes pace, lætitiáque animi, vehementi studio Divinæ gloriæ conjunctâ, confido Te informaturum notitiam, & æstimationem veram laudum, ac meritorum ejus; cui poteris tutò credere, copiosè, ac plenè haud dubiè tecum acturo de cunctis, quæ hìc geruntur. Scribo ad Regem de illo, suadens quantùm possum ad exonerationem conscientiæ tum meæ, tum Majestatis

ſtatis ejus, ut eum citò huc remittat. Eget enim eo viro incredibiliter India: quoniam hic eſt, qui Chriſti oviculas à vi defendit, atque inſidiis inſatiabilium luporum. Homo eſt Michaël Vazius intrepidus, & fortis; qui nunquam deterretur ab allatrandis iis, qui recens ad Chriſti religionem aggregatos perſeqvuntur, & bonis evertunt. Si alium hujus loco Rex mittere huc volet, quem reperiet (ut minimam Vazij dotium memorem) pari cum eo uſu præditum Indicarum rerum, quibus per annos duodecim non interfuit ſolùm, ſed etiam præfuit? Quem, qui ſic ametur à Bonis, timeatur à malis? Planè ſic habe: ſi alium Rex quærat, quantumvis in deligendo attendat, magno ſe exponet periculo aberrandi à ſcopo, quò collimat. Quare age, rogo Te, ſeriò cum ejus Majeſtate, ut hunc remittat. Vale. Cocino VI. Kalend. Februar. Anno M. D. XLV.

*Tuus ſervus, & in Chriſto*
*Amantiſſimus Frater*
Franciſcus.

## Epistola VIII.

Patribus Paulo Camerti, Joanni Beiræ, Antonio Criminali, & cæteris Sociis. Goam.

Sum-

Summarium. *Relictâ Macazariâ cogitat Amboinum. Socios in Comorinum Promontorium evocat: Patri Paulo Camerti curam domûs Goanæ, & studium Obedientiæ commendat, suffragia Sociorum implorat, commendat Simonem Botellum.*

## *Gratia & charitas D. N. &c.*

PRolixis litteris, quas ad vos per P. Commendatorem misi, fusè vobis exposui, esse me in procinctu ad iter Macazarem versus: sed quòd posterioribus inde nunciis accepimus, haudquaquam esse illic res tam bono loco, ac nobis erat persuasum, non sum illuc profectus, cogitóque jam Amboinum, ubi & multi jam Christiani sunt, & quæ cæterorum docilitas laudatur, multorum ad Ecclesiam facile secutura videtur accessio. Inde ad vos scribam, quæ præsens videro de regionis ejus statu, déque dispositione Indigenarum ad fidem, ac fructu, qui verosimiliter sperari ex laboribus ibi exantlandis potest. Pro usu, quem præsenti experientiâ mihi peperi rerum Promontorij Comorinensis, & Goæ, quémque, Deo juvante, comparabo Amboinensis, & Molucensium Tractuum, cùm eos inspexero, scribam ad vos in quibus potissimùm horum locorum collocari vestram industriam ad

majus

majus Dei obſequium videatur utilius. Quod nunc eſt, rogo vos Chariſſimi Patres Joannes de Beira, & Antoni Criminalis, ut ſubitò ab his viſis litteris expediatis vos ad quã primùm eundum in Promontorium Comorini, ubi utiliorem DEI obſequio navabitis operam, quàm iſthîc Goæ: unde aſſumetis P. Franciſcum Manſillam, ſi fortè ibi ſit; ipſe enim peritus eſt Comorinenſis regionis, & ab eo intelligetis, quo pacto vivere, & operari vos illic oporteat. Omnino velim, ſi Patrem, ut dixi, Manſillam hæ litteræ Goæ reperierint, ut ambo vos, eo tertio adjuncto, ſimul in Comorinum proficiſcamini. Per Deum oro vos, ne aliter faciatis; néve, quacunque demum obſtante causâ, omittatis profectionem iſtam, quam planè cupio, & judico neceſſariam. P. Nicolaus Lancilotus ſubſiſtet in Collegio S. Pauli, in profitēda ibi Grammatica, ad quod è Luſitania miſſus eſt. Quia confido vos, quæ veſtra eſt charitas non aliud facturos, quàm quod hæc præſcribit Epiſtola, plura de hoc non addam. Paule Camers chariſſime multùm oro te, per quo Jeſum Chriſtum amore proſequeris, ut acriter invigiles utilitatibus, & conſervationi Domûs iſtius. Ante omnia tibi etiam atque etiam commendo, ut plenam perfectámque exhibeas obedientiam

ijs, qui ejus Domûs qualemcunque Præfe-
cturam exercent. Sic habe: nihil Te ulla
in parte mihi gratius, nihil posse jucundius
facere, quàm si planè ad nutum ipsis obtem-
peres. Equidem, si isthîc essem, nihil, ne
minimum quidem quantulumcunque face-
rem contra, vel præter authoritatem, & vo-
luntatem eorum, qui Sancto isti Domicilio
præsunt; obsequerérque illis diligentissimè
in omnibus quæcunque mandarent. Optó-
que, ac spero Deum intimo in animam tu-
am afflatu inspirationis suæ persuasurum
tibi penitus: nullâ te re majorem inire ab
se gratiam posse, plúsque ad suum obsequi-
um, laudémque conferre, quàm, ejus a-
more, abnegando tuam propriam volunta-
tem. Scribe ad me quæso singillatim de
cunctis nostris Patribus, ac Fratribus, præ-
cipuè de P. Francisco Mansilla, per navem,
quæ solutura isthinc Molucum versus est.
Scio te id facturum fusè, ac diligenter; &
jam nunc percipio spe, ac desiderio volupta-
tem, quam mihi litterarum istarum afferet
lectio. Rogo Vos Charissimi Fratres, ora-
te continuò pro me quotidianis vestris cum
Deo colloquiis, & Sanctis Sacrificiis. In-
digeo peculiariter isto à vobis auxilio pro-
pter discrimina, quæ adeo, navigans in ter-
ras barbaras omnis generis periculis infe-
stas.

ſtas. Proficiſcitur hinc ad vos Simon Botellus, bene affectus erga iſtam Sanctam Domum. Referet ille vobis minutè de me, ac rebus meis. Amiciſſimè illo utor, viciſsímque amo hominem plurimùm, eſt enim vir valde bonus, & Dei amans ex vero. Rogo te, ut ejus amicitiam diligenter colas. Omnia ille in me veri amici officia cumulatè præſtitit, dono mittens, quantùm opus fuit ad viaticum, & inſtrumentum navigationis hujus meæ, cum benevolentiſſima ſignificatione præſtantis charitatis. Remuneretur utinam illum meâ vice, qui poteſt, Deus: quantùm enim illi debeam ſentio. Deus Dominus Noſter, Chariſſimi Fratres in Chriſto, nos in ſua ſancta gloria conjungat; quando in iſta vita tam variè diſperſi degimus. Malaca xvii, Kal. Januarias, Anno M. D. XLV.

*Veſter minimus Frater in Chriſto*
Franciſcus.

## Epistola IX.

## Joanni III. Regi Luſitaniæ.

Summarium. *Gratitudo erga Regem prædicat Regis in Societatem merita. Eundem de rebus Indicis edocet. Conſilium ſuum de propaganda fide exponit. Impedimenta enumerat.*

*rat. Ardores Francisci in propaganda fide. Operarios exposcit. Laborum suorum fructus recenset. Episcopum Indiæ laudat, & Regi commendat.*

*Gratia & charitas D. N. &c.*

DOmine. De Rebus Religionem, & DEI Domini nostri cultum, atque obsequium spectantibus in his Oris Malacæ, & Moluci, confido Majestatem Tuam ad minutum distinctè cognituram ex litteris, quas scribo ad Societatem in Europam; cum quibus sunt etiam rescripta ad litteras huc ad nos datas à Te, Domine, quem habemus, & agnoscimus præcipuum, & verum Protectorem universæ Societatis Jesu; amore, ac beneficijs cumulatè talis nominis officium explentem. De statu Religionis, ac Christianitatis Indiæ, Pij ac Religiosi Viri, qui isthinc ad Vos, studio promovendi divini obsequij, se conferunt, Tuam Majestatem plenissimè docebunt. Præterea P. Frat. Joannes de Villa-comedea fidelis Dei Minister, & multâ experientiâ rerum, quæ geruntur in Insula Ceilano, de illis scribit, quæ ad exonerandam conscientiam tam ejus, quàm Tuæ Majestatis significare ipsum, & Te, cognoscere utriusque interest. Ea ille fusè, claréque, ac summa fide differit, partim in Episto-

Epiſtola inſcripta Tuæ Majeſtati, partim in Actis, ac Commentariis ſimul miſſis, quæ mihi omnia communicavit. Quare dignam rem ſuâ ceterâ ſapientiâ fecerit Majeſtas Tua; ſi tam fidâ notitiâ rectè utens, quamprimum ea juſſeris, quæ ad defungendum tuo hac in parte munere, ac officio, neceſſariò decernenda videbuntur. Denique Fratres quoque meos è Societate exiſtimo, & ipſos ſcribere ad Majeſtatem Tuam; redderéque ſingilatim, ac minutè rationem Chriſtianitatum Comorinenſis, Goanæ, & aliarum, quæ per hos Indiæ Tractus aut jam conditæ ſunt, aut quotidie conduntur augentúrve, quod ad me privatim attinet, multùm, ac ſæpe cogitavi, deliberavíque cum animo meo, ecquid exponerem per litteras Majeſtati Tuæ, quod mihi circumſpicienti, quæ hic fiunt, & attentiſſimè cuncta reputanti, faciendum videretur ad latè diſſeminandam in his terris, & firmiter ſtabiliendam noſtram Sanctam Fidem. Hinc quidem impellebat ut aggrederer, ſtudium obſequendi Deo, & ejus promovendæ gloriæ: deterrebat aliunde, ne auderem, quòd deſperarem extiturum inde operæ pretium, neque enim in rem unquam conferenda confidebam, quæ propoſuiſſem. Atqui tacere ſalvo officio haud mihi videbar poſſe; utique cùm appareret

reret non sine certo consilio concessum mihi divinitus, ut hos penitus animo sensus conciperem. Nec comminisci poteram verisimilius quidquam, cur Deus ista mihi aperire voluisset, nisi, ut à me indicarentur Majestati Tuæ, & tamen rursus verebar, ne, si quod me angit, exponerem, hæc mea Epistola fortè in hora mortis accusaret apud Deum Majestatem Tuam, aggravarétque conditionem, ac periculum illius judicij supremi, demenda Tibi excusatione ignorantiæ. Credat mihi quæso Majestas Tua, id me non mediocriter angebat; quippe cùm mihi essem intimè conscius, nihil me spectare, aut cupere hîc aliud, nisi laboribus me conficere, & vitam ipsam profundere in salute animarum per hos Indiæ Tractus procuranda; ut sic detraherem quantùm possem de onere officij incumbentis Tibi, & de fungenda parte commendati curæ tuæ muneris, expediorem rationes conscientiæ Majestatis Tuæ; securiorémque Te in judicii extremi terribili alea præstarem, quod ut tuâ causâ velim, & quâvis contentione, ac ærumnâ meâ bene putem emptum, meretur ingens tuus in nostram Societatem amor. Hæ contrariæ, Domine, solicitudines, inter officij mei, & tui periculi alternantes metus, mirè, miseréque, ut verum fatear, meum ad se quæque variè

variè trahentes diſcerpebant, confundebántque animum; quoad denique in eam partem deliberatio conſedit, quæ defungendum ſemel, exonerandámque effuſione diu preſſorum ſenſuum conſcientiam præſcribebat mihi. En igitur, quæ à me in his Indiarum, Malacæ, ac Moluci Regionibus præſenti, eáque longâ experientiâ comperta, convulnerant mihi mentem, & ægritudine conficiunt. Pro certo habeat Majeſtas Tua; in his locis, uti & alibi, plerumque omitti multa, quæ fieri ad Dei obſequium expediret, ob quaſdam Sanctitatis ſpecie fucatas, revera vitioſitas, & valde noxias æmulationes; arcanis offenſiunculis eos invicem committentibus, qui rebus hìc gerendis præſunt. Dum quidam ait: meum eſt hoc agere; nec alteri concedam, ut ejus facti laudem tollat. Alius contrà; quando ego non hoc facio, à vobis fieri non gaudeo. Ecce alter diversè queritur: ego pondus porto, & labores exantlo, gratiæ, ac fructus operum proveniunt alijs. In iſtas altercationes ardeſcentibus ſtudiis, pro ſe & ſcribunt, & ſatagunt, quo ſuam quisque rem promoveat. Inter hæc tempus conſumitur, occaſiones elabuntur: locus non relinquitur proferendo cultui Dei Domini noſtri. Nec diſſimili de cauſa ſæpiùs evenit, ut quæ magnū hono-

honorem, præcipuámque utilitatem allatura Majestati Tuæ fuerant in India, negligantur. Unum isti malo remedium excogitavi, quod si adhiberetur, & multi, ni fallor, Christiani fierent in his Tractibus; & qui ex iis, quòd apud Potentes gratiâ careant, expositi sunt injurijs, chari commendatique Magistratibus forent: ut nemo eos vexare, nemo spoliare, neque Indus auderet. Hoc autem est: ut significet Majestas Tua, vel per litteras Prætori, ac Præfectis, qui jam sunt in India, vel voce coram, iis quos huc mittes rebus præfuturos, clarè inquam iis significes, ac certò denuncies: Te incrementum Nostræ Sanctæ Fidei, quod præ omnibus cupis, præcipuè, ante omnes Religiosos, & Sacerdotes, qui in Indiis sunt, ipsi Prætori, aut loci Præfecto commendare; in eo præsertim confidere; ab eo repetiturum rationem; ei quod bene, qóudve perperam actum in eo genere fuerit, totum imputaturum, prœmióque, aut supplicio repensurum. Atque in ea declaratione, quò minùs esset interpretationibus obnoxia, cuperem equidem nominatim exprimi nos omnes, qui versamur in his locis; negando in quemquam nostrum, aut in omnes simul deonerare Te ullam partem officij, quod conscientiam Tuam gravat; sed in eum solum, qui à Te authoratus

Præto-

Prætoris, aut Præfecti poteſtate locum quemcunque obtinet, ubi rei Chriſtianæ gerendæ qualiſcunque occaſio eſt: cùm enim Deus Majeſtatem Tuam iſto graviſſimo conſtrinxerit officio, cōſulendi videlicet æternæ ſaluti ſubjectarum Tibi Gentium, non aliis à Te id debere demandari, quàm Vicarijs authoritatis iſthìc Tuæ, & perſonam Tuæ Majeſtatis dignitate Magiſtratûs repræſentantibus: quorum alicujus negligentia ſi eveniſſe comperias, ut non multi Chriſti Fidem eo gubernante in loco ipſi commiſſo ſuſceperint, pœnas, quæ ob neglectum obligationis tantæ in tuū ipſius impenderēt caput, Te in ipſum animaverſurū; cùm jam antea clarè denunciaveris; totum iſtud graviſſimum officium imbuendas curandi Fide Chriſtiana animas Infidelium Tibi ſubjectorum, Te in tuos Primarios horum tractuum Miniſtros exoneráſſe. Quoties igitur ad Te Prætor, aut Præfectus ſcribet, exponat, quo loco Chriſtiana res ſit: quot, & qui, qualéſve crediderint ex Ethnicis: quæ ſpes ſit, quæve facultas adducendorum aliorum. Litteris ejus ſolis in his, quæ de hoc genere ferentur, fidem adhibiturum Te; aliis quorumvis eo de argumento ſcriptis non acquieturum. Quod ſi eo in loco, vel Provincia, cui quiſque præeſt, eo tempore, quo præfuit, paſ-

rum

rum aucta numero Neophytorum Ecclesia nostra sancta fuerit, cùm constet multùm ubique ac semper augeri posse, modo Præsides velint; seriò, ac fide regiâ denuntiet Majestas Tua ipsis in Diplomatibus, quibus eos instituis, & potestatem confers, te pœnas ab ipsis repetiturum. Idque percuperem te jurejurando confirmare; pollicerique palàm interposito solemni formulâ conceptis verbis Dei nomine; te, per quemcunque Præsidem steterit, ne Fides propagetur, eum, postquam redierit in Lusitaniam, mulctaturum bonis, & pecuniam ejus, rémque familiarem universam in opera misericordiæ expensurum; ac præterea vinculis ipsum, & durâ custodiâ multis annis detenturum; claréque moneas, ne errent, sibique blandiantur, quasi minæ deducendæ in rem nequaquã sint: certo enim certiùs te nullas, quæcunq; obtendi possint, excusationes accepturum: unámque restare ipsis viam tuæ severitatis evitandæ, promerendæq; gratiæ, si quamplurimos locis, & temporibus, quibus rexerint, effecerint Christianos. Cur ita fieri necesse sit multis possem experimentis, quæ mihi sunt perspectissima, demonstrare. Sed hærere in his nequeo, ne molestus sim Majestati Tuæ; & meas ærumnas præteritas, ac præsentes sine spe operæ pretij recitem. Tan-

tum dico: si Prætor, aut Præfectus quicunq; sit, certissimè sibi persuaserit, talia ex vero à Majestate Tua dici, planéque ita facturum te, sicut denunciâsti, ac jurâsti, uno anno universa Insula Ceilani, & multi oræ Malabaris Reges, totúmque quàm latè patet Comorini Promontorium Christi Religionem amplectetur: quamdiu verò Prætores, aut Præfecti locorum Indiæ nō urgebuntur isto metu dignitatis, & rei familiaris amittendæ, nisi Christianos plurimos fecerint, nullum magnum speret Tua Majestas successum prædicationis per Indias Evangelicæ; certissimúmque habeas, nec accessuros multos ad Baptismum, nec qui accesserint multùm in Religione profecturos: neque omnino per aliud stare quò minùs quotquot vivunt homines, in India Christi divinitatem agnoscant, & ejus sacram doctrinam profiteantur, quàm quòd, qui Prætor aut Præfectus id curare neglexit, nulla per Majestatem Tuā gravi pœnâ mulctatur. Et quoniam vix spero id unquam futurum, parum abest: quin me hæc scripsisse pœniteat: ubi præsertim reputo; forsitan Majestatem Tuam ex hoc ipso, quod te de hoc admonui, inexorabiliùs apud Dei tribunal judicandam: nec scio utrùm tali tempore admittenda sit exceptio, quàm fortè allegabis; te non fuisse obligatum ad fidē adhi-

adhibendam meis litteris. Ex animi mei sententia summâ fide profiteor Majestati Tuę me nequaquam scripturum hæc fuisse, quæ hactenus exposui de Præfectis, aut Præsidibꝰ horum tractuum, si posse me reticere ista sine crimine persuadere mihi ullo modo potuissem. Nondum, Domine, planè constitui, an sim iturus in Japoniam: sed magnum mihi momentum, ut in consilium eò proficiscendi propendeam, addit, quod valde diffido adfuturum mihi hìc in India eum verũ, & efficacem Magistratuum favorem, qui esset necessarius ad incrementum nostræ sanctæ fidei, & ad conservationem Christianitatis jam factæ. Obsecro, atque obtestor Majestatem Tuam, per quo Deum Dominum nostrum amore prosequeris; quóque ferris studio ei gratificandi, ut tuis fidelissimis per Indias subditis, mihíque cum illis tantum regiæ istius indulgeas gratię, ut proximo anno multos nostræ Societatis concionatores huc mittas. Nam tibi Domine verissimè denuncio, multùm talibus egere arces tuas Regias per Indiam; tum ob Lusitanos, qui in illis Præsidiis degunt, tum ob novos Christianos, qui subjectis in urbibus, aut pagis vivunt. Expertus loquor: quæ, inquam, vidi, quæque præsens sensi ad hoc scribendum me impellunt. Quo tempore Malacæ, quóque

in Molucis fui, bis quolibet die Dominico, aut alioqui festo, ad concionem dicebam. Id ita facere cogebar, quòd egere plurimùm & milites & populum, qui ibi sunt multiplicato divini verbi pabulo videbam. Lusitanos igitur de sacro pulpito docebam ad matutinum sacrum :à prandio filios, & filias, prætereáque mancipia ipsorum, & liberos ex indigenis christianos, accommodato ad captum cujusque sermone erudiebam, capita christianæ doctrinæ sigillatim edisserens. Certo verò infra hebdomadam die ad congregatas in templo uxores Lusitanorum, tam indigenas, quàm ex utroque genere mixtas, concionem catecheticam habebam de fidei articulis, & Sacramentis Confessionis, & Communionis. Paucis annis ingens operæ pretium ad Dei obsequium extaret, si hic docendi tenor constanter in locis omnibus vigeret. Intra ipsas porrò arces tradebam per id tempus quotidie doctrinam christianã post meridiem liberis Lusitanorum utriusque sexûs; servis item, & ancillis eorundem, ac christianis indigenis : ex qua institutione præsens fructus extabat, quòd idololatricæ superstitiones, & magicæ præstigiæ, quæ inter rudes neophytos, antea frequentabantur, jam prorsus omitterentur. Hæc ita minutim refero Majestati Tuæ, ut hinc pro Tua sapientiâ

entia judices, quantâ hic ſit opus conciona-torum copiâ; & eam, quod eſt conſequens, idoneam procurare ne obliviſcaris; utique cùm, ſi, quæ hìc jam gravis ſentitur ejus auxilii penuria, in poſterum quoq; perſeveret, non modò qui recèns ad noſtram ſanctam fidem ſunt converſi, non perſtituri ſint in propoſito; ſed ne ipſi quidem Luſitani ultrà ferè plerique quàm nomine tenus ſint futuri chriſtiani. Valde vereor, Domine, ut quem velim, & opus eſſet, hæc mea deſideria effectum nanciſcantur: ægréque adducor, infelicitatem Indiæ expertus, ad certò confitendum, tanti eam boni, quantum illi opto futuram compotem: cujus ea eſt quaſi conditio innata, aut potiùs maligna indoles, ut exactam religionem, & excellentiam officiorum exquiſitæ virtutis in publicum morem induci, & paſſim apud pleroſque invaleſcere minimè ferat. Idibus Januarij hujus anni appuli Cocinum Malacâ veniens, ubi Epiſcopum repereram, ex ejúſque conſpectu, atque uſu magnum animi fructum ceperam, animadvertens quantâ charitate ingentes corporis labores ſuſtineat, obeundo ſingillatim arces intra ſuam diœceſim ſitas, & adeundis, excolendíſque Chriſtianis S. Thomæ; ſuo ſic plenè officio fungens, prout verum, ac bonum, qualem ſe per iſta probat, paſto-

rem decet. Horum tam laudabilium operũ merces ei à certis horum tractuum hominibus talis omnino persolvitur, qualem sanctis rependere mundus consuevit. Multùm mihi placuit, & quadam sui reverentiâ perfudit, præsentibus perspecta experimẽtis sancta viri patientia. Scio mussitari nescio quid per Indiam de illo à filiis hujus sæculi, quos etiam arbitror ad Majestatem Tuam scripturos sinistram istam ipsam suspicionem, quâ eum temere aspergunt occasione mortis Michaëlis Vazij: qua in re, hoc ei verissimum, & syncerissimum debere me testimonium, sentio, & ut gravi me exonerem officio, reddo: affirmans certò scire me (quamvis quâ viâ, quóve modo id didicerim, dicere, aut scribere non possim) compertissimum, inquam, mihi esse, nihilo magis eum de isto eventu culpari jure posse, quàm me ipsum, qui longissimè illinc apud Molucas aberam, quando istud contigit. Oro, atque obsecro Majestatem Tuam, pro eo quantum & Deum amas, & Deo gratificari studes, & tuam ipse conscientiam ab omni contagione labis servare puram cupis, ne quidquam circa hæc agas, aut decernas, unde isti viro bono ægrè fit. Sanè si Majestas Tua fidem adhibere videretur falsissimæ isti calumniæ, inde adderetur authoritas, & augeretur confidentia obtrecta-

trectatoribus, qui ſunt in India. Quod Majeſtas Tua Petrum Gonzalvium Proëpiſcopum Cocinenſem inter Sacelli Regij Præfectos adſcivit; quódque fratris ejus filium aulæ Palatinæ honorariis Ephebis accenſuit, ut ad meũ quoque beneficium pertinere putem, ingentia viri hujus in Societatem noſtrã merita faciunt. Me itaque ac noſtros omnes eo peculiari nomine Majeſtati Tuæ obſtrictos profiteor: quòd minùs miraberis, Domine, ſi ſcias Domum Cocinenſis Proëpiſcopi Diverſorium eſſe Societatis JESV. Nec vulgaris hoſpitij, aut uſitatæ amicitiæ finibus benignitas in nos ejus coërcetur: eò uſque liberalitate prodeunte, ut poſtquam in noſtros uſus cuncta expendit, quæ ad manum ſunt, mutua corroget ab alijs, quæ ſuperimpendat. Oro Majeſtatem Tuam nomine Societatis univerſæ, ut tam ei, quàm ejus fratris filio jubeas iſthîc expediri neceſſarias litteras, ut hic ſtatæ ipſis penſiones cum fide præbeantur. Uterque iſtâ gratiâ dignus eſt: Proëpiſcopus quidem, quia invigilat ſaluti æternæ fidelium ſubditorum Majeſtatis Tuæ; fratris ejus filius, quia militarem operam Patriæ, ac Reipublicæ tuis auſpicijs navat. Deſino in hoc voto: det utinam Deus Dominus noſter Majeſtati Tuæ, ut penitus in animo tuo ſentias, ac ſimul factis exequaris, quid-

quid ipſo in momento mortis tuæ gauderes à te factum. Cocino XIII. Kal: Februarias, Anno M. D. XLVIII.

*Tuæ Majeſtatis ſervus inutilis*
Franciſcus.

## EPISTOLA X.
### P. Simoni Roderico, Soc: JESV.

Summarium. *Militem quendam Simoni commendat; arreptum ſemel in Japoniam proficiſcendi conſilium, periculis non obſtantibus, retinet.*

*Gratia & charitas D. N. &c.*

QUi has tibi reddet litteras homo eſt uſu hîc aliquo mihi notus. Is in Luſitaniam proficiſcitur animo poſtulandi à Rege præmia operæ à ſe Reipublicæ navatæ: vehementérque à me inſtitit, ut commendatitias in eã rem ad te litteras darem. Agnoſco equidem, nec ipſi diſſimulavi, longè quæſtuoſiorem ambitionis artem inſtituere illum, agendo cum Deo, poſſe; impetrandáque ab eo ſuorum peccatorum venia; quàm meritorum, ac rectè factorum terrenam mercedem à Rege mortali nundinando. Is tamen ab iſta utique ſpe, ac cogitatione, hic quidem, deduci non potuit. Experiâre iſthîc cenſeo, ecquid animum cum cœlo mutaverit. Et ſi fortè il-
lum

lum mala, periculáque navigationis opportuniorem cœlestibus monitis fecerint, suade homini, ut monachus potiùs isthîc hæreat, quàm huc redeat miles. Si persuaseris: næ tu hominem miserum ingenti affeceris beneficio; atque adeò lucrifeceris animam perditam: quòd si defixus caducis animus ad tantùm Philosophiæ non assurgit, juvetur sanè ijs, quæ justè postulat; & te quoad potes cōciliante consequatur ex honorariis, quæ meruit longâ militiæ tolerantiâ, saltem quantum ad victum isthic ei opus est. Id ego te, ut coneris ejus causâ etiam atque etiam per Dei charitatem rogo.

Postquam omnes litteras perscripsi, quas dare constitueram in Lusitaniam ferendas Petro Fernandez, functo in his Indiæ tractibus munere Proëpiscopi, appulerunt huc Malacâ naves, quæ certò nunciant, Portus Sinicos infensos, infestósque Lusitanis esse. Non tamen hoc me deterrebit à tentanda profectione in Japoniam, quam uti jam significavi tibi me decrevisse, ita Deo juvante suscipiam. Non est enim alius fructus animi major in hac ærumnosa vita, quàm vivere in magnis moriendi periculis, quorum adeundorum unica, & vera causa fuerit solus Dei amor, & ei gratificandi, dilatandæque nostræ sanctæ Religionis syncerum studium.

Suavius, mihi crede, homini est in hisce laboribus versari, quàm sine illis pacatè, otioséq; vivere. Deus Dominus noster nos in sua sancta gloria conjungat. Vale. Cocino VIII. Kalend: Februar: Anno M. D. XLIX.

*Tuus verus & in Christo amantissimus Frater*

Franciscus.

# EPISTOLA XI.

## Eidem.

Summarium. *Francisci in scribendo sedulitas. Duos Cives Malacenses in Lusitaniam navigantes commendat. Ejus magnanimitas in contemnendis periculis. Fiducia in Deum. Litteras de Societatis statu à Simone exposcit.*

*Gratia & charitas D. N. &c.*

NE mirêre, quòd scribam ad te sæpius. Nam & multi sunt, qui hinc ad vos proficiscentes, litteras à me, quas ad te perferant, petunt; & ego perlibenter omnem occasionem arripio compellandi tui: utique confidens fore, ut quæ à me scribuntur fructu animi mei magno, à te pro amore mutuo, legantur non sine voluptate. Qui tibi hanc reddent Epistolã duo viri honesti sunt, ac probi, optimíque Christiani, cives Malacę Vrbis, ubi domicilia, & familias habent. Causa illis fuit isthuc navigandi cura exsol-

vendi se certis officiis, obsequiísque, ad quæ adstringebantur. Narrabunt tibi multa de Malaca civitate, de laboribus in ea nostrorum, & fructu, qui ex iis provenit, quæ habent perspectissima, utpote cunctorum testes oculati. Ferunt etiam litteras P. Francisci Perez, quibus puto illum, uti se facturum recepit, fusè, distinctè, ac minutim explicare, quo successu functiones instituti nostri propriæ illic exerceantur: nec tacebunt de Sinicis, Japonicísque rebus: in ea enim urbe diu fuerunt, quæ commercijs illarum terrarum, & gentium opportuna, optimè omnium novit quid in ijs geratur. Mirari se multùm ajunt amici mei, ac familiares omnes, quòd navigationi tam longinquæ, támque periculosæ me committam. Sed miror ego magis modicam illorum fidem. Habet in manu, ac ditione sua Deus noster tempestates marium Sinici, & Japonici, quibus vehementiores negant uspiam ullas existere. Subsunt ejusdem potestati venti omnes, scopuli, syrtes, ac brevia, quæ plurima, insidiosissimáq; ac infamia naufragiis ibi feruntur esse. Imperio idem suo continet piratas omnes, quorum illic infinitum numerum prædicant, eorundémque immanissimorum, quique soleant exquisitis enecare cruciatibus quos capiunt, præsertim Lusitanos. Cùm igitur Deus

Dominus noster sub sua ditione teneat hæc omnia, à nullo eorum quidquam timeo. Deum ipsum metuo solum; ne ob meam in ejus obsequio negligentiam, quódque ineptus, inutilísque meâ culpâ sim in regno, ac nomine JESV Christi Filij ejus inter gentes, qui ipsum non norunt proferendo, justè castigandum decernat. Extra hunc, omnes illos alios metus, pericula, labores, quæ tam formidolosè amici certatim intentant mei, non facio nauci, & securus rideo: unúsque in me Dei timor cunctos creaturarũ metus extinguit; quippe quas nocere nemini scio posse, nisi cui & quatenus conditor ipsorum incommodare permiserit. Redeo ad duos nostros, oróque te, pro eo quantùm Dei, ac Domini nostri amor, atque obsequium tibi cordi est, ut paucis diebus quibus Olyssipone futuri sunt, eos foveas, hospitio commodo excipi cures, in cunctis adjuves, prout poteris, & res exiget. Ac cum audiris, quæ multa illi vobis de India narrabunt, ipsos confectis negotiis remittetis huc, fac eis deferendas ad nos tradas longas, & accuratas litteras, quæ nos omnia doceant de cunctis Societatis nostræ Patribus, ac Fratribus, qui in Italia, Gallia, Belgio, Germania, Hispania, & Aragonia sunt: nominatim autem de benedicto, & mihi singulariter charo Collegio Conimbricen-

si. Has tu litteras Malacensibus nostris inscribas censeo. Illis enim tradita earum autographa ab his duobus indidem civibus ad sua reducibus, servabuntur ibi; & exscripta ex ijs exempla ad nos è Malacensi portu, unde singulis annis multæ in Sinas, & Japoniam naves solvunt, tot mittentur viis, ut per unã harum aliquam successum habituram ad nos perventura sint. Deus Dominus noster nos conjungat in sua sancta paradisi gloria, Amẽ. Kalendis Februarij, Anno M. D. XLIX.

*Tibi deditissimus, & tui amantissimus in Christo Frater*

Franciscus.

## EPISTOLA XII.
## Joanni III. Regi Lusitaniæ.

Summarium. *Joannem de Villacomdea in Lusitaniam abeuntem commendat. Dolet Præfectorum regiorum avaritiâ impediri propagationem fidei. Regem Ceilani hostem fidei Christianæ detegit. Libertas Christiana Xaverij in monendo Rege, & detegenda Præfectorum ejus inobedientia. In Japoniam cogitat. Christianos Comorinenses, uti & Jacobum Abunam Episcopum Armenum Regi commendat, eundémq; objecto mortis judiciiq; extremi terrore ad conscientiæ suæ consulendum adigit.*

Gra-

*Gratia & charitas D. N. &c.*

NOn ſcribo Majeſtati Tuæ calumnias, injurias, vexationes, quibus hîc exagitantur, & opprimuntur, qui recèns ad noſtram ſanctam religionem acceſſerunt. Pater enim Frater Joannes de Villacomdea iſthuc proficiſcens cuncta ejus generis fuſè, veriſſiméque narrabit, & quaſi ſubiiciet oculis Majeſtatis Tuæ. Debes illi viro, Domine, multas gratias ob labores ingentes, & innumerabiles, quos per hos Indiæ tractus exhauſit in divino, tuóque obſequio, & ut conſcientiæ, atque officij Majeſtatis Tuæ rationes expediret apud Deum. At in æſtimando P. F. Joannis merito, nolim à Majeſtate Tua ſolùm reputari contentiones, perpeſſiones, vigilias, & cæteras corporis ærumnas, utcumq; eæ multæ, graves, continuæque fuerint, quas pertulit. Ludus enim hæc, ac remiſſio ſunt, ſi comparentur cum mentis angoribus, & diriſſimo tormento animi, quo intimè lacerabatur ſpectans ſuis oculis, nec prohibere ullâ ratione valens, Præfectos arcium, & Procuratores fiſci immaniter agere, feréque, & avariſſimè diripere miſeros Neophytos, in fide Chriſti, quam nuper ſuſceperunt, teneros adhuc: quos ideo illi ipſi, qui vexant Chriſtiani Magiſtratus fovere potiùs debuerant, & beneficijs amplecti. Hoc verò, mihi crede Domi-

ne,

ne, cordolium longè ſupra omnes corporis dolores acerbiſſimum eſt; atque adeò, ut ſic dicam, martyrij genus horrendum, cruciatibus quibuſvis tyrannicis atrocius, cogi patienter acquieſcere, cùm videas momento deſtrui alienâ culpâ, quæ tuo, & aliorum longi temporis vehementiſſimo conatu, ærumnoſiſſimáque conſtantiâ proximè ad faſtigium perducta erant. Hîc pro certo ferebatur, Regem Ceilani pretioſa xenia ad Majeſtatem Tuã mittere, ob beneficia, quæ à te quotidiè accipit plurima. Habeat pro indubitato Majeſtas Tua, immanem in eo, & acerbiſſimum Chriſti hoſtem Ceilani regnare: &, quod pene dictu nefas eſt, ad nocendum Chriſti cauſæ, opprimendámque, quàm poteſt maximè religionem, non aliâ magis potentiâ, quàm tuâ gratiâ, tuiſq; donis authorari, & armari. Veriſſima hæc ſunt; ſed vobis auditu fortaſſe non grata: quare equidem perinvitus ſcribo; præſertim cùm id ne fruſtra fecerim metuam, dum enim hîc de futuris æſtimatur ex præteritorum experientia, ſanè verendi cauſa eſt, ne inpoſterum quoque major longè, ac clarior Tuæ Majeſtatis favor extet in illum profeſſum, & atrocem inimicum Chriſti, quã in Religioſos Sacerdotes, qui rem Chriſtianã Ceilani curant: quæ palàm cernentibus evidentia ipſa rerum voces interdum elicit liberas,

beras, quas pace tuâ Domine hic ponam: Imperio te Indiarum non ad amplificandum Christi regnum uti; sed ad corradendas opes, humanáque duntaxat, ac temporaria tibi, ac tuis conficienda commoda. Ignosce mihi quæso Majestas Tua, si tam clarè, ac sine ambagibus res, ut sunt exprimo. Hoc enim me ita facere cogit verus, & syncerus amor, ac studium, quo tui, tuæque salutis æternæ, Domine, teneor: cùm audire mihi videar Dei sententiam Supremo judicio decernentis, aut potiùs quid decreverit extremo tuæ mortis momento declarantis; cujus necessitatis vim nemo eluctari quantumvis potens; nemo arte propria, opéve alterius cujuslibet, valet effugere. Nec quæso nimium confidat Majestas Tua ijs Mandatis, quæ multa, & gravia piè, ac speciosè inseris litteris Regijs ad Prætorem, Præfectos, & cæteros Indiæ Magistratus, jubens ante omnia religioni caveri, & faveri Christianæ. Ego enim, Domine, qui res uti se habent præsens intueor, clarè intelligo, nullam prorsus restare spem fore, ut talibus unquam mandatis verè, ac seriò deferatur obedientia. Quare una mihi non in postremis causa est Japoniam cogitandi, ut illas in extremas Orientis Insulas fugiens, operam utiliùs, quàm hîc hactenus collocem. P. Fr. Joannes fert secum com-

communicanda Majestati Tuæ capita quædã circa miseros christianos oræ Comorinensis. Capiat Majestatem Tuam aliqua misericordia illorum: néve gravêre esse illorum Pater; Orphani enim sunt, morte nuper Michaëlis Vazij optimo, ac verissimo Patre amisso. Quinq; & quadraginta jam anni sunt ex quo Episcopus quidam Armenus, nomine Jacobus Abuna, Deo hîc & Majestati Tuæ inservit. Homo est ex æquo verè Deo charus ob virtutem, ac sanctimoniam; & Majestati Tuæ, ac omnibus ferè, qui possunt aliquid in India, neglectus, ac spretus. Deus illi sic merenti per se consulit, nos eo haud dignans honore, ut instrumentis utatur nobis ad consolandos servos suos. Soli eum Ordinis S. Francisci Patres ita curant, eáque amplectuntur benevolentiâ, cui nihil addi possit; absque qua foret jam diu bonus senex confectus ærumnis, efflâssétque animam. Liceat consulere, quod sentio. Magnopere author sum Majestati Tuæ, ut ad istum bonum Præsulem scribi cures tuo nomine verbis honorificis, & benevolis; indito litteris ijsdem, quod possit Gubernatoribus, ac Procuratoribus monstrari, mandato, præsertim Præfecto Cocinẽsi, ut eum honorent, hospitio excipiant, officijs, & favore prosequantur; maximè cùm quid petet, aut quâ re indigebit. Hæc scribens,

non illi pio Antistiti prodesse, ac gratificari me putabam, sed Majestati Tuæ. Nam ei per beneficam Patrum Franciscanorum charitatem nunc quidem nihil deest: Majestas verò Tua hominis apud Deum gratiosi favore, ac commendatione multùm eget; quàm promereri tali poteris officio. Eo est ille vir, vel hoc nomine dignissimus, quòd multùm exhausit laborum in excolendis Christianis S. Thomæ: & nunc in sua penè decrepita ætate obedientissimè se accommodat cunctis ritibus, & consuetudinibus Sanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ. Scio scribere solere Majestatem Tuam ad Patres S. Francisci: ei fasciculo posset inseri hæc ad Episcopum Armenum Epistola, quam suadeo scribas omnibus favoris, æstimationis, & affectûs significationibus plenam. Deus Dominus noster imprimat penitus menti Majestatis Tuæ claram notitiam sanctissimæ voluntatis suæ; suggerátque simul vires, & auxilium conferat ad eam ita plenè, perfectéque exequendam, ut Tua Majestas gauderet à se factum horâ extremâ mortis suæ: quando à Te, Domine, reddenda Deo ratio erit totius anteactæ vitæ. Id decretorium æternitatis momentum citiùs aderit, quàm Majestas Tua putet: quare danda maturè opera est, ut bene ad illud paratus occurras. Regna & Principatus transeunt,

ſeunt. His nova ſuccedet, & inopinatiſſima facies rerum: planè qualis ne cogitatione quidem, ac ſuſpicione primâ, Majeſtati unquam Tuæ in mentem venerit. Videbis enim Te per mortem ſpoliatum Regnis, & poſſeſſionibus ejectum cunctis, in alia longè diverſa contrudi terribilia, & tenebroſa Regna; in quæ duriſſimum, & acerbiſſimum erit relegari ex illis alijs avulſum; præſertim ſi, quod Deus avertat, extra paradyſum, & ejus ſpem eſſes amandandus. Cocino VII. Kalend: Februarias, Anno M. D. XLIX.

*Tuæ Majeſtatis ſervus inutilis*

Franciſcus.

## EPISTOLA XIII.

### Eidem.

Summarium. *Duartis Barreti Regij in India procuratoris, induſtriam, & fidem comendat, docétq; quales Regum Miniſtros eſſe conveniat. Suadet favoribus Regijs viciſſim honorandum Duartem.*

*Gratia & charitas D. N. &c.*

QUoniam Regiis iſthinc miſſis litteris juſſiſti me, Domine, ſcripto referre ad Majeſtatem Tuam de ijs, qui per hos tractus cũ fide, ac diligentia commiſſo à te ſibi munere funguntur; ſic velim habeas: Duartem Barretum

retum, qui negotia Regni tui nuper procuravit Malacæ, nihil in ea functione omisisse, quod ab homine gnavo, industrio, fideli expectari posset. Ita enim prospexit rationibus fisci, ita negotiatoribus favit, jure sine personarum respectu ex æquo dicundo, ita denique in omnibus se gessit, ut ejus iste Magistratus honori apud has gentes Majestati Tuæ fuerit: quippe cùm ex hoc specimine judicantes homines vulgò crederent, Te Ministros huc Imperij Tui tales mittere, quos virtutibus, quæ tibi maximè probarentur, quibúsq; ipse abundares, instructissimos scires. Equidem sic arbitror: Regum, ac Principum latè imperantium in eo verti gloriã; si, quas ipsi per se administrare non possunt suæ ditionis partes, ijs committant, quorum existimari similes honestum ipsis sit; quósq; populi cùm viderint, cúmque fidem, gravitatem, æquitatem ipsorum usu perspexerint, studio amplexi fuerint, expressam effigiem laudum, ac decorum Principis absentis in præsentibus ab eo missis ejus Vicarijs, spectare sibi, ac tenere videantur. Horum de numero, ac genere optimo Ministrorum, qui summam sibi felicitatis ponunt in perfectè obsequendo Regi suo, vel inprimis est Duartes Barretus: hoc nomine dignus, quem Majestas Tua re, ac dignitate auctum velit; cujúsq;

júſque ob egregiè Tibi, ac Reipublicæ navatam operam remunerandi quærendas occaſiones putes. Ea quæ dixi, ut faceret, multum illi laborum exantlandum fuit; multæ (quæ copia hic improborum eſt) contentiones ſuſcipiendæ, certandáq; certamina. Nec imputari poteſt in locum idoneæ mercedis, pro ſedula diligentia tot annorum, Præfectura, cujus memini, Malacenſis. Primùm, quia caſu quodam factum eſt, ut parum ipſi quæſtuoſa foret; deinde quia tempus ejus totum explere non potuit: quare hinc pauper diſcedit. Dignare, Domine, ei conſulere, utiq; homini quantamvis à MajeſtateTua gratiã merito. Adjungat precor Deus Dominus noſter multos annos ad vitam florentem, & felicem Majeſtatis Tuæ: concedátque per ſuam clementiam tibi, ut in hac vita cognoſcas ſanctiſſimam ejus voluntatem; benignéque ſuppeditet vires animi abundantes ad ea ſenſibus, operibus, affectibus agenda, quæ ſupremo tempore feciſſe te gauderes. Malacâ IX. Kal. Julias, Anno M. D. XLIX.

*Majeſtatis Tuæ ſervus inutilis*

Franciſcus.

## Epistola XIV.

### Eidem.

Summarium. *Conſilium Japonicæ expeditionis*

*tionis, ſibi divinitus injectum Regi exponit. Trium Japonum, viæ comitum, pietatem, uti & Malacenſis Præfecti erga ſe, ſuóſq; humanitatem commendat. Hortatur Regem, ad prævidenda noviſſimorum jacula, ut prævisa minùs feriant.*

*Gratia & Charitas D. N. &c.*

AUditis, Domine, ac ſæpe multúmq; conſideratis, quæ à varijs ijſdémque idoneis authoribus, quippe in re præſenti verſatis, plurima & mira referuntur de inſigni quadã diſpoſitione, quæ in Inſulis Japoniæ cernitur ad accipiendam noſtram ſanctam Religionẽ; putavi mihi vehementer, atq; inſtanter à Deo noſtro Domino petendum, ut dignaretur ſenſu quodam intimo in animum meum immiſſo ſignificare, ecquid ipſi cordi eſſet, me illò proficiſci; ſimúlq; daret vires ad perficiendũ, quod juberet. Placuit divinæ Majeſtati, ejus me voti compotem facere. Planè ſiquidem in animo meo ſentio, & penitus perſuaſus ſum, expedire ad Dei obſequium me in Japoniam tendere. Ergo alacri vigens fiducia, moras abrupi omnes ex India ſolvens; ut jam haud dubiè vocantem, crebriſque, ac vehementibus incitantem ad iſtud iter impulſibus Deũ ſequerer. Eo curſu hũc Malacæ portum tenuimus duo ſocij mecũ, & tres Japones chriſtiani recentes, ſed valde boni, qui poſt plenè percepta JESV Chriſti Domini noſtri vitæ, ac do-

ac doctrinæ myſteria, & dogmata, Goæ in Collegio ſanctæ fidei baptizati ſunt. Omnes legere more noſtro, ac ſcribere didicerunt: recitántq; Eccleſiaſticas preces, ac ſtatis horis divina meditantur. Movet illos, atq; afficit præcipuè conſideratio laborum, & dolorum Chriſti; crucíſque, ac mortis ejus recordatio, in qua ſępe magnis animorum ſenſibus, & teneris affectibus verſantur. Meditationibus aſceticis P. Ignatij mentem excoluerunt attentione ſummâ, miróſq; inde fructus reportârunt clarioris Dei notitiæ: frequentant ſponte Sacramenta Confeſſionis, & Communionis: & ad hoc nobiſcum iter ingentibus deſiderijs urgentur adducendorum ad Chriſti religionem popularium ſuorum. Pervenimus huc, ſex quos enumeravi, Malacam pridie Kalendas Junias, Anni M. D. XLIX. Arcis Malacenſis Prefectus excepit nos omnes eximiâ charitate: prolixéque detulit quidquid à ſe optari ſtudij, & favoris poſſet ad expediendum, & promovendum hoc noſtrū iter, quod magnâ ſpe Deo inſerviendi, & Majeſtati Tuæ gratificandi ſuſcepimus: mox verborum humanitatem officiorum ſedulitate ſuperavit. Ita enim elaboravit in quærenda nobis nave commoda, cæteráque opportunitate procuranda tutò, ac facilè pergendi quo tendimus, ut, quæ quo primùm die huc appulimus libe-

raliter, & benignè multa promiserat, cumu-
latissimè repræsentaret: quidquid ejus pote-
statis fuit, in eo promptè, benevolè, ultroque no-
bis offerendo nihil sibi ad summam humani-
tatem reliqui fecit: quæ verò ambitu, & gra-
tia exoranda ab alijs fuêre, in ijs eblandien-
dis omni studio, conatu omni efficiendi
tantùm elaboravit, támq; insigni teneræ in
nos charitatis demonstratione nostrâ causâ
contēdit, ut facilè sentiamus nos semper im-
pares fore isti ejus remunerandæ beneficen-
tiæ, quâ majorem, efficaciorémq; ne à fratre
quidem germano expectare poteramus. Per
quo Deum Dominum nostrum amore com-
plecteris, oro obsecróque te, Domine, ut
quæ plurima hoc nomine Petro de Sylva de-
bemus rependere vice nostrâ Majestas Tua
dignetur. Largè suppeditari jussit, quid-
quid nobis opus fuit, non modò in viaticum
navigationis hinc in Japoniam; sed in sum-
ptum etiam, & victum commorationis illic
longiusculæ, & ædificationem Sacelli, ubi
sacrum Missæ sacrificium offerre Deo possi-
mus: quam propriè in rem largitus nobis est
triginta modios piperis optimi electi ex o-
mni copia, quæ Malacæ fuit. Addidit mul-
ta speciosa, & magni pretij munera, Regi Ja-
poniæ offerenda; ut ijs ille delinitus facilio-
rem se admittendis nobis, & in Regno suo
cole-

tolerandis præbeat. Hæc ita minutè narro Majestati Tuæ, quò intelligas quibus me beneficijs,& honoribus afficiant fideles tui subditi, qui in Indijs sunt. Equidem, Domine, verè mihi dicturus videor, neminem unquã in Indiam venisse, cui tantum vel honoris, vel gratiæ tribuerent degentes illic Lusitani, quantum mihi detulerunt. Totum hoc debeo Majestati Tuæ, crebrísque tuis illis, & efficacibus commendationibus mei ad eos, quos negotijs Regni tui Præfectos habes per Indicos tractus. Quos inter quoniam D. Petrus de Sylva Præfectus Malacensis in me juvando, colendo, ornando insigniter excelluit, iisque me sibi beneficijs obstrinxit, quibus inopia, & imbecillitas mea parem à me unquam referri gratiam prohibent, peto ut me sinas constituere in liberalitate tua supplementum egestatis meæ. Id consequar, si dignabitur Majestas Tua, & huic, & aliis de me optimè meritis largiter in mei gratiam benefaciendo, ea cuncta repræsentare, quæ ego ipsis, cùm debeam, exolvere non possũ. Deus Dominus noster per suam infinitam pietatem, & misericordiam illuminet plenè, ac penitus mentem Majestatis Tuæ ad clarè cognoscendum suam sanctissimam voluntatem addátque gratiam perfectè exequendi, quæ ipsi placere noveris: sic prorsus,ut fecis-

ſe gauderes in momento mortis tuæ: quando ſiſtêris ante Dei tribunal redditurus rationem omnium, quæ per univerſam vitam egiſti. Vehementer etiam atque etiam obſecro Te, Domine, ne pigreris jam nunc præparare in illud ultimum periculum decretorij momenti, quidquid expediri modò, ac præverti poteſt. Morbus enim ſupremus, & mortis ingruentis vicinia ita mentem languentis in angorum, dolorúmque, qui plurimi, acerbiſsimique tunc ſæviunt, præſenti ſenſu miſeram defigit, ut illi nequaquam vacet alijs curis, aut cogitationibus attendere, quàm quas illa horribilis ſcena rerum animo ſeſe tum primùm obijciens triſtiſſimas, & inutiliter cruciantes incutit, quarum informare ſpeciem nemo poteſt, qui non ſit expertus. Malacæ, die Feſto Corporis Chriſti, Anno M. D. XLIX.

*Majeſtatis Tuæ ſervus inutilis*

Franciſcus.

## EPISTOLA XV.

### D. Petro de Sylva, Præfecto Malacenſi.

Summarium. *Suum ad Japones adventum Petro adſcribit. Pauli Japonis Zelus. Japonum ad fidem aptitudo. Meacũ ad Regem ire ſtatuit. Hortatur Præfectum ad liberalitatem in Neophytos Japonas exercendã.*

Gra-

*Gratia & Charitas D.N. &c.*

IN Japoniam deniq; non venti magis propitij, Domine, quam tua nos beneficia perduxerunt :quippe ad fortunandum iſtum curſum, ſecundùm Dei Domini noſtri benevolam providentiam, plurimùm (quod gratè fatendũ eſt) valuit tua in nos ad hoc procinctos iter humaniſſima liberalitas, quâ non ſolùm viaticum amplum, navigium ex præſenti copia optimum, cunctáque id genus, quæ erant ex uſu amantiſſimè providiſti, nodos interim omnes, & moras negotij eminente ſemper authoritatis tuæ favore amputans; ſed ad gratiæ cumulum dona præterea multa, pretioſáque adjeciſti, quibus hujus terræ Principum neceſſariam nobis benevolentiam pararemus. Cum his ſalvi, atque incolumes, Deo juvante, XVIII. Kal: Septembris fauſto, & auſpicato die, videlicet aſſumptæ in cælũ Deiparæ Sacro, appulimus Cangoximam, Patriam Pauli ſanctæ fidei; cujus gratiâ à Præfecto loci, & Ædile, univerſóque populo ſanè amanter ſumus excepti. Pauli ejuſdem fidi noſtri comitis ſtatim emicuit Religionis haud fictè ſuſceptæ zelus. Noctes, diéſque totas parentibus, cognatis, amicis, omnis ætatis, ſortis ac generis proponere Chriſti doctrinam, ac ſuadere inſtitit, tam efficaciter, ut jam quando hæc ſcribo, ma-

trem & uxorem, cognatos cognatásque, ac consanguinitatem universam utriusq; sexûs, cæterorúmque amicorum, ac veterum familiarium non exiguum numerum Christianos effecerit. Est hæc terra, quantùm hactenus potui perspicere, ita nunc aptè, ac tempestivè disposita ad excipiendos cœlestis doctrinæ satus, ut ex ea, si cultura non desit, uberes jure optimo sperentur fructus animarum. Natio hæc est hominum in qua vel plurimũ supra perturbationes ratio valet. Nec, quæ peccant plurima contra recti judicij authoritatem, præscribunt; errant enim ferè per ignorantiam, ut appareat emendaturos, si doceantur. Itaque imperium rationi suum mali etiam mores quodammodo integrum relinquunt: dum non palàm contra ejus interdictum usurpantur: sed precariò, & furtim, ac quasi citra præjudicium obrepunt: quare licentia obsequendi vitijs nequidquã reclamante ratione, non adeò in hac gente usu invaluit, ut ubi scienter inverecundâ passim malitiâ peccatur. Iremus jam nunc Meacum, ubi Japoniæ Imperator, & præcipui Gentis Principes degunt, si tempestas ventorum ferret. Ajunt post quinq; hinc menses statum expectari Etesiarum eò ferentium exortum. Tunc si Deus dederit, illuc navigabimus: quæ multa, & mira de illa Regia

Japoniæ Civitate celebrantur, ijs plenam ad-
jungam fidem, ſi præſens perſpexero. Sex &
nonaginta millia domuum in ea cenſeri re-
ferunt. Duo Luſitani, qui ibi fuerunt, quo-
rum unus adhuc in Japonia verſatur, ajunt
ſibi videri Meacum Urbem Ulyſſipone am-
pliorem. Ædes omnes è materia ſunt, con-
tignationibus, & tabulatis more noſtrate
ſurgentibus exſtructæ. Anno, ſi Deus an-
nuerit, ſequenti, ex præſenti de his experien-
tia copioſis ad te litteris diſſeram. Magna
mihi ſpes è Chriſti JESV propitio favore ani-
mum complet, fore ut magna Japoniæ pars
ob eam, de qua dixi rationis ad liquidũ per-
ſpectæ in hac gente authoritatem, noſtram
ſanctam Religionem amplectatur. Atque
hujus, qui tam veroſimiliter expectatur, in-
gentis fructûs bona pars liberalitati, & hu-
manitati illi tuæ imputabitur, quâ nos & vo-
ce, atque operâ coram, & ſcriptis, quò fuit
opus efficacibus mandatis, & donis ex tua
copia ſpecioſis conferendis, quibus Regis Ja-
poniæ gratiam eblandiamur, hoc noſtrum
conſilium Chriſti legis in hoc Regno pro-
mulgandæ, ex infinitis & noſtræ imbecillita-
ti inſuperabilibus difficultatibus explicâſti.
Quæ res facit, ut cum Dei auxilio confidam,
per te abſolvendũ, & in pleni ſucceſsûs pro-
movendum lucem, quod Dominus Comes

Almirantes Pater tuus olim inchoaverat: tantò majori apud Deum tuo merito, quòd ille navigationum ad Sinas, & Japonias vel institutarum, vel frequentatarum non alium ferè, quàm quæstûs temporarij Lusitano Regi fructum attulit: tu longè felicior hac nostrâ tam benevolè navigatione juvandâ, æternam amplificationis Regni Christi, & propagationis divinæ gloriæ utilitatem procurâsti. Hoc scribo, ut intelligas, quàm obstrictus Deo sis, qui te ad rem tantam elegerit; & istud tam laudabile nostræ sanctæ Religionis per has oras dilatandæ propositum, menti penitus tuæ inseverit. Nec deerit, mihi crede, quin primùm quærenti Dei Regnū humanæ accumulentur opportunitates. Regi enim quoque, nisi fallor, & Regno, quorum rationes summâ fide, ac diligentiâ procuras, uberes proventus nostra hæc Japoniensis expeditio promittit. Sacaium est civitas maritima, Princeps emporium Japoniæ itinere bidui Meaco distans. In ea urbe, Deo juvante, facile impetratu erit, ut detur jus domicilij Procuratoribus Regis Lusitaniæ, facultásque ædificandi apothecas ubi merces Indicas, Europeásque custodiant, donec eas per otium commutent cum pretiosissimis quibusque Japonicæ terræ metallis, artificijs & fructibus, argento præsertim, atque auro,
quæ

quæ ex omnibus ferme hisce Insulis in hunc ditissimum illorum tractuum portum maximâ copiâ vænum importantur. Id quò faciliùs commercium utrimque quæstuosum ineatur, suadere conabor Regi Japoniæ, ut legatum in Indiam mittat, qui spectatâ illic abundantiâ rerum ad vitæ usum opportunissimarum, quibus caret Japonia, desiderium earum suis rediens moveat: & sic eos proniores ad mutui mercatûs conditiones admittendas reddat. Unde fiet, ut nón ægrè inter Indiæ Proregem, & Regem Japoniæ conveniat cùm de cæteris legibus Commercij, tum propriè de Portorio, ac scripturæ Lusitanici Fisci Sacaij, uti dictum est, constituendis. Multum confido in Domino JESV fore, ut ante duos annos scribam tibi, habere nos Meaci templum Deo dicatum in honorem Sanctissimæ Deiparæ Dominæ nostræ; ut qui deinceps in has Insulas navigabunt, in horribilibus illis Sinici archipelagi procellis invocare possint Divam Virginem Meacensem. Quod si tantum mihi fidei tribueres, ut sumere me sineres Officium Procuratoris in his locis tui, spondere ausim effecturum me, ut quamcunque rei, ac pecuniæ tuæ partem mihi commendatam hoc nomine volueris, eam tibi plusquam centuplicato fœnore auctam repræsentem; idque lucro à peri-

riculis itinerum, & naufragiorum planè securo, certæ mercaturæ felicitate, quali nullus ante te Præfectus Malacæ innocentius, uberiúsque lucrum fecerit. Scire aves, quod hoc genus sit compendiosissimæ nundinationis? missis ambagibus dicam. Induc sodes in animum largiri nobis, quod dividamus egentibus harum terrarum Christianis, qui modò sunt, & qui mox fient. Hujus sic collocatæ sortis, præsto, fidejussore Christo, plus quàm centuplum in cœlo tibi reddendum, non obnoxium ventorum, aut fluctuū incerto, neque armis insidiisve Piratarum. Hæc scribens verebar, ut satis parato in præsens esses animo ad istā jaciendam sperandæ in cœlo commutationis aleam: quâ nihil tamen est securius. Scio vos Præfectos Malacenses excelsis animis, quamquam satis alioqui experrectis ad lucrum, hanc tamen certissimam artē utilissimi compendij plerumq; negligere solere. Latro navarchus noster hîc Cangoximæ diem obijt. Inservivit nobis ex animi ferè nostri sententia navigatione totâ, nec nos tamen ei reddere vicem in portu, atque in morte potuimus. Ipsi enim mori libuit in superstitione sua: neque illud saltem nobis reliquum fecit, quo alijs amicis in Christiana professione defunctis referre post mortem gratiam possumus, commen-

dando eorum animas Deo; quando miser suam animam in infernum projecit, ubi nulla est redemptio. Multi hinc Japones ad vos navigant, ad id consilium impulsi sermonibus Pauli nostri mira de Lusitanorum virtutibus narrantis. Oro, & obsecro te per quantum Deo debes, & tuæ nobilitati, excipe illos honorificè, ac liberaliter, & da operam, ut apud Lusitanos copiosos, & honestos, à te jussos omnem illis humanitatem exhibere, splendidè commodéque diversentur. Magno id illis (mihi crede) invitamento erit ad Christi Religionem amplectendam, si vera de Lusitanis retulisse Paulum experimento ipsi proprio compererint. Dominicus Diazius, cui has committo tibi reddendas litteras, amicus meus summus est, nec minus mihi charus, quàm ipse me diligit. Humanitas enim ejus, & in nos benignitas per assiduam consuetudinem longę navigationis continuis officijs perspecta mihi est. Singulari me beneficio affeceris, si homini de me optimè merito, quam deberi à me profiteor, nec exolvere possum, tu gratiam rependeris. Deus Dominus noster dies vitæ tuæ in multos propaget annos, téque salvum, & florentem, ut tu, & Domina uxor tua optatis in Lusitaniã reducat. Vale. Cangoximâ, nonis Novem: A. M. D. XLIX.

*Tuus in Christo*

Franciscus.

# EPISTOLA XVI.

## PP. Gaspari Barzæo, Balthasari Gago, & Jacobo Carvallio Goam.

Summarium. *Barzæum, Gagum, & Carvallium in Japonem, collaudato eorum zelo, evocat; Barzæum reliquis præficit.*

*Gratia & Charitas D. N. &c.*

CUm in his Japoniæ Regnis præsens animadvertam dispositionem optimam, ad insignem profectum nostræ sanctæ fidei; & aliunde memoriâ repetam inflammata desideria, quibus dudum æstuatis divinæ promovendæ gloriæ, adjuvandis proximis in suarum invenienda salute animarum; in eam fiduciam ingressus sum, ut sperarem, pro ea, quam vestri habeo notitia, non defuturam vobis Deo Domino nostro juvante, virtutē, atque humilitatem interiorem, quarum ope, ac præsidio possitis efficere, quod cupitis, & antiquorum aliquando fieri compotes votorum. Mando itaque vobis in virtute sanctę Obedientiæ, ad vestrum majus meritum, ut, nisi quemquam vestrûm valetudo impediat, vos Magister Gaspar, Balthasar Gage, & Jacobe Carvalli veniatis in Japoniam, ubi ego sum, mox iturus, Deo juvante Meacum, ubi, ut spero, me reperietis. Vos verò Balthasar Gage,

Gage, & Jacobe Carvalli, toto itinere obedictis Magistro Gaspari, de cujus prudentia, & humilitate confido, functurum illum tali Præfecturâ, quâ par est attentione, ac diligētiâ. Quia certissimum habeo, vos statim ut hæc videritis, nullam moram huc proficiscendi facturos, sic svadente perspectissimâ mihi vestrâ omnium religione, ac perfectione mentis, ad obediendum vel cum mortis periculo paratissimæ, amore illius, qui prior factus est pro nobis obediens usque ad mortem. Nihil jam dictis addam, quod ad vos, & iter hoc vestrum attinet, sperans vos, DEO deducente, salvos hic mihi atque incolumes brevì sistendos. Scribebat hæc manu propriâ vester, ac vestri amantissimus in Christo frater. Cangoximæ nonis Novembr: Anno M. D. XLIX.

*Franciscus.*

## Epistola XVII.

### Meo in Christo Sancto Patri Ignatio Romam.

Summarium. *Xaverij erga S. Patrem affectus; Humilitas ejusdem. Rectorem idoneum Goano Collegio, uti & Messi Japonicæ operarios, non nisi ab ipso approbatos præfici flagitat. Mores Japonum describit, uti & Sinarum, ad quos suam expeditionem pandit. Suffragia S. P. & Societatis implorat.*

*Gratia & charitas D. N. &c.*

VErifsime Pater mi, accepi modo Malacæ, huc appellens è Japonia litteras tuæ fanctæ charitatis: quæ quoniam de vita, ac valetudine tam chari, ac venerabilis mihi capitis, quod optabam docuerunt, fcit Deus Dominus nofter quantâ meum animum voluptate compleverint. Multas equidem in ijs jucundè legi fuavitatem fpirantes tuam, pietatémque fententias; quas & identidem, fructu animi mei præcipuo retracto mente, verfans, & quoddammodo regufto; præfertim autem illa extrema verba, quibus velut charitatis quodam figillo Epiftolam obfignafti. *Totus tuus, adeo ut nullo unquam tempore oblivifci tui poffim. Ignatius.* Quæ ego, ut illic cum dulcifsimis lacrymis legi, ita & flens hìc defcribo, revocans fuavifsimam memoriam temporis elapfi, & illius fynceri, ac fancti amoris, quo me femper amplexus, nunc quoque profequeris; prætereáque reputans, me ex tot illis, atque ingentibus laboribus, periculífq; Japoniæ, à Deo, tuis potifsimùm precibus inflexo, votífque in me paternis obfecundante, fuiffe liberatum.

Nunquam exprimere fcribendo poffem, quantùm debeam Japonibus: quandoquidē in eorum gratiam Dominus nofter clarâ me notitiâ intimè imbuit innumerabilium culparum

parum mearum. Nam hactenus evagans extra me, quamdam velut abyssum malorum in mea conscientia penitus conditam non perspexeram: quoad in illis ærumnis, & angoribus Japoniæ, apertis aliquando mentis oculis, dedit mihi bonus Dominus manifestè cernere, ac quasi præsentis experientiæ sensu tangere, quàm valde necessarium mihi sit existere aliquem, qui perattentam pérque sedulam mei curam gerat. Videat igitur quid agat tua sancta charitas, dum tam Sanctas animas Patrum, ac Fratrum Societatis, qui in his degunt regionibus, gubernationi meę subijcis: mihi verò per solam Dei misericordiam modò evidenter innotuit; tam malè me paratum rebus ad istam Præfecturã bene fungendam necessariis, ut sperare potiùs debuerim commendari me à te curæ, ac providentiæ Fratrum meorum, quàm ipsos mihi committi regendos. Adjungit deinde tua sancta charitas, ingenti desiderio teneri te videndi me adhuc semel ante finem hujus vitæ. Novit, qui mei pectoris intima pervidet Dominus noster, quàm vehementem quámque dulcem impressionem teneri affectûs animo penitus meo insinuaverit hæc ita blanda significatio præstantis amoris erga me tui. Equidem quoties tua illa verba mente reputo (reputo autem sæpissimè) in-

jussæ

juſſæ mihi lacrymæ oculos complent: nec poſſunt teneri, quin ſuaviter erumpant ad ſolam illam mihi jucundiſsimam ſpeciem, quæ obverſatur cogitanti, fieri poſſe, ut te iterum amplectar: quod etſi video difficillimum; tamen nihil eſt, quod ſancta obedientia efficere nequeat. Per ſtudium, quo ardenti flagras obſequendi, ac gratificandi Deo Domino noſtro, unam à te peto gratiam, quam, ſi præſens adeſſem, poſitis humi ante tuos ſanctos pedes genibus ſupplex rogarē; ea autem eſt, ut huc mittas virum aliquem tuæ ſanctæ charitati penitus perſpectum, & planè probatum, Rectorem præficiendum Collegio Goano; nam homine, quem tu eleгeris, quémque manu, ut ſic dicam, iſtâ tuâ idoneum formaveris, vehementer eget id Collegium. Cur omnino arbitrer neceſſarium deſtinari huc à te viros præſtantes, & ſupra vulgarem modum virtute, ac doctrinâ præditos, ad Academias Japoniæ mittendos, hæc cauſa eſt: quoniam qui ſunt illic expertes litterarum, ſed alioqui prudentes homines; cùm de ſuis erroribus convincuntur, eò ſe recipiunt, ut dicant: eſſe in ſua quoque gente doctorum virorum copiam, qui totam vitam exquiſitis commentationibus, & infinitâ lectione tranſegerunt. Eos, quoniam quæ nos affirmamus, pernegant, prius eſſe devin-

devincendos, adjungendósque nobis; ut sic rectè possint, qui eorum authoritate nituntur, & ipsi accedere. En cur litteris, ac doctrinâ opus sit. Constantia verò ac patientia insignis virtutúmque cunctarum cumulus planè requiritur in ijs, qui tantis se dimicationibus objecturi sunt. Venient siquidē pauci, & inopes Advenæ contra nomen universum, ac famam gloriosæ, ac multâ sui, rerúmque suarum admiratione subnixę nationis, quæ tota in ditione Bonziorum est, primas illic dignitatis, existimationísq; tenentium: quod qui audeant, palàm est multa passuros, ubi eos undique, quos irritaverint, crabrones incesserint; neque laturos impunè, simul, quod primum & necessariò faciendum, Bonziorum Sophismata dissolverint, mendacia redarguerint, sordes, & arcanas artes, quibus plebem credulam pecuniâ emungunt, in lucem protrahere publicā cœperint. Equidem ex ijs, quæ sum expertus illic præsens, videre jam hinc videor, væsani Sacrificuli quàm impotenter erupturi sint, cùm aderit coram, qui negare in os ipsis sustineat: posse illos, quod gloriantur, arcanis sacris, eruere flammis addictas jam orco animas: cujus ridiculæ jactantiæ, si palàm falsitas coarguatur, quæstûs eorum pars maxima perierit; cùm verò Sodomitica flagitia, quā

illi abominandam obſcœnitatem in ludi, ac prope laudis parte numerant, meritis objurgationum aculeis configentur, nempe iſtos velut compunctos ſtimulo in ſuis lutulentis lacunis immanes apros, ruituros impetu veſano ad eos dirumpendos, qui margaritas ante ipſos projecerint, eſt conſentaneum. Quare, ut dixi, horum, hiſque ſimilium promulgatores illic dogmatum, deeſſe non poterit, quin acriter opugnentur, diréque vexentur, ut animæ ipſis ſuæ, juxta evangelicū verbum, in ſua ſibi duntaxat poſsidendæ patientia ſint: quapropter egregiè inſtructos, firmitérque præmunitos eſſe oportet, qui ad ea diſcrimina ſe obijcient. Scribo itaque ad P. Simonem, aut eo abſente ad Rectorem Collegij Conimbricenſis, ne ullos huc ad Japonicas Academias ituros mittat, quos tua ſancta charitas non viderit, planéque perſpectos probaverit. Iterum atque iterum dico, majoribus, quàm vulgò creditur certaminibus, & ærumnis exercebuntur. Adibuntur importuniſsimè: nullam diei, nec interdum noctis horam à moleſtiſsimis interpellatoribus vacuam habebunt: interrogationibus alijs ſuper alias ſine fine urgebuntur: vocabuntur à principibus viris, quibus negare nefas ſit. Subtrahetur per hæc quotidianis orationibus, meditationibus, receptui

ptui mentis ad Deum, & Spiritualibus id genus exercitijs tempus: non vacabit Miſſam celebrare. Saltem primis, quibus ibi conſpici cœperint diebus, præ turba ſciſcitantiũ, quos repellere non expedit, vix perſolvendi penſi Eccleſiaſticarum precum, vix cibi, ſomníque capiendi ſpatium erit. Nationis id vitium ejus eſt, nullâ verecundiâ negotium faceſſere, hoſpitibus præſertim, & peregre appulſis, qualibus ferè contemptim utuntur, & protervè illudunt; etiam innoxijs, & nullâ re moleſtis: quòd ſi jam ijdem, quæ Japonijs ſunt ſanctiſsima, inſectari, & incomitiare audeant; ſi in Sectas ſuperſtitionum invehantur: ſi vitia publica ſale ſatyricò nõ parcè defricent, virgulâ cenſoriâ non perfunctoriè feriant: ſimul præfractè negaverint eos, qui ſemel infernis addicti ſint ignibus, ex ijs ullo poſſe piaculò, ullâ viventium amicorum, aut parentum largitione, aut religione liberari; magnam ſtatim procellam invidiæ ſubeant neceſſe eſt, indignaturo paſsim optimo quoque in eos, qui de Charorum ipſis jam defunctorum animabus tam durè ſentiant; pleriſque novam Religionem velut infirmam, imperfectámque contempturis, quòd ultro fateatur, nihil ſe remedij ſemel damnatis habere, quod afferat. Talium curæ rerum, & hujus generis ibi quæſtiones agitan-

Ora, quæso te, Deum, ut hominem in suscepto consilio propositóque confirmet. Sinæ omnes honesti, quicumque nos nôrunt, nostrâ consuetudine admodum delectantur, nósque in Sinarum fines penetrare percupiunt. In animum enim induxerunt suum, iis quos circumstare nos vident libris, legem aliquam suâ meliorem contineri. Et quamquam id eò fortasse accidit, quòd cupidi sunt rerum novarum; tamen peroptant nos in Sinarum fines intrare. Attamen ipsi nos in Sinas devehere, propter eam quam dixi caussam, omnino recusant. Mercatorem illum, quicum transegi, indies expecto. Utinam is expectationem non frustretur meam. Quod si accidat, incertum est, quid acturus sim; utrùm in Indiam reversurus, an ad Sionis regnum trajecturus, ut comitem me addam legato, quem Rex Sionis ad Sinarum Regem brevì missurus dicitur. CHRISTUS Dominus noster auxilio nos & consilio juvet, ut in cælestis gloriæ Societatem aliquando veniamus. Ex insula Sanciano. XI. Kalendas Novemb. M. D LIII.

## EPISTOLA XVI.

### Jacobo Pereriæ.

Summarium. *Optimè de se merito gratias agit,*

*agit, eiq; secundùm Deum Sinensis missionis auspici fructum, si quis erit, tribuit. Agit de alia via, si, quâ modò conatur, in regnum Sinarum non penetrârit.*

## *Gratia & Charitas D. N. &c.*

SCRIPSI ad te ex freto Sincapurano, quid mihi hactenus accidisset. Nunc quod ad te scribam nihil habeo, nisi quàm liberaliter sim toto hoc itinere à tuis vel procuratoribus vel familiaribus tractatus. Equidem tibi propterea gratiam habeo vel maximam; satis enim apparet, perspectam esse eis egregiam tuam erga me voluntatem. Deus tibi gratiam cumulatè pro me referat, quando ipse non possum. Ego verò dum vivam, Deo supplicare non desinam, ut tibi commodam valetudinem, suámque gratiam in hac vita, post mortem sempiternam gloriam & felicitatem impertiat. Et quoniam ne his quidem officiis magnitudini tuorum erga me meritorum respondere me posse intelligo; à Sociis omnibus, qui versantur in India, idem ut faciant vehementer peto. Quòd si mihi & Evangelio aditus in Sinas patebit, profectò id tibi potissimùm tribuetur secundùm Deum: ita apud homines, & apud Deum ingentem ejus rei, & gratiam & gloriam feres. Atque adeò, quicumque

sive

nibus duabus in varijs Hispaniæ Collegijs, & Italiæ vivere, in quibus fortè multùm utiles non sint: quòd nativâ elegantiâ popularis linguæ careant; qui si transferrentur in Japoniam, excellenter ibi operam navarent, & magnis se fructibus commendarent. Putavi præterea suggerendum sanctæ charitati tuæ; ut, si tibi videretur, juberes haberi severiorē delectum eorum, qui ex Collegijs Hispaniæ, & Lusitaniæ mittuntur in Indiam, ibi victuri. Præstaret duos tantùm anno quolibet huc solvere, dum tales essent, quales hæ regiones requirunt: primùm satis provectos in perfectione spirituali; postea & doctrina, & facundia præditos, quanta opus est ad concionandum, & confessiones audiendas. Et hos cuperem tuo jussu peregrinari Romam, antequam ad nos navigent. Nam & istæ itinerum probationes ad eos formandos conferunt: quid possint, ipsis ostendunt; ad labores durant, adversùs pericula futura præteritorum innoxiè aditorum recordatione confirmant. Denique sic consequemur, ut hîc in concursationum Apostolicarum sudoribus novi non sint: quales deprehenduntur, qui sedentes huc nave delati è patria, unde nunquam exierunt, campestrium laborum, & pedestrium peregrinationum usum nullū habent. Sanè tot hîc illecebræ ad mollitiem,
tan-

tanta tâmque pellacia, non modò ad cessationem, atque desidiam, sed etiam ad nequitiam invitamenta sunt, ut eorum virtus, qui hisce animarum periculis obijcendi sunt, exquisitis priùs experimentis probanda videatur; ne si qui minùs idonei obrepserint, pro sperata nobis consolatione ipsorum adventus, & convictus, negotium potiùs molestissimum facessant, ea committentes, ob quæ ipsos è Societate amandare sit necesse. De his videat quæso tua sancta charitas, an è re sit Magistrum Simonem per te admoneri. Neque qui è Societate nunc sunt Amangucij, neque qui, cùm hìc jam versentur in Indijs, anno proximo, vel alijs consequentibus, si Deus volet, in Japoniam ituri sunt, idonei mihi videntur, qui mittantur ad illas Academias. Verùm hi vacabunt interim addiscendæ linguæ, cognoscendísque dogmatibus Sectarum, ut cùm venerint ex Europa, quos expectamus è sinu tuo Patres, domesticis ipsis, & fidis uti possint interpretibus in concertationibus adversùs Bonzios. Verosimilis mihi spes est profecturam plurimùm, & largè amplificandam Amangucianam Ecclesiam. Sunt enim jam ibi Christiani multi, & inter illos non pauci valde boni; ac novi quotidie plurimi catechizantur, & baptizantur. Vivo in spe magna, fore ut Deus Dominus

minus noster nobis servet P. Cosmum Turrianum, & Joannem Fernandez, nec sinat ab Idololatris interfici; primùm quia prima, & præsentissima periculorum jam videntur evasisse, furiis illis Bonziorum prima offensione inflammatis: morâ de hinc mitigatis, & sensim consenescentibus. Deinde quia multi, ut dixi, ibi Christiani sunt, & inter eos non pauci dignitate, & authoritate præstantes, qui magno studio invigilant diu, noctúq; conservationi nostrorum. Joannes Fernandez, etsi nihil nisi Laicus est; tamen, quòd expeditè utitur linguâ Japonicâ, & quidquid illi suggerit P. Cosmus Turrianus aptè, ac disertè in eam transfert, utilissimus est illic. Nunc totus est in explicandis, quotidianâ ad populum dictione, omnibus mysteriis vitæ Christi. Quoniam eam perspexi in Japonibus indolē, ut & religionem Christianam satis ipsis ostensam facilè probaturi, & semel susceptam tuituri constanter, atque in posteros perpetuaturi videantur, in eorum cultura quantosvis labores bene collocatos puto. Quo in sensu reficit, ac consolatur me spes, quam in tua sancta charitate repositam habeo, confidere me jubens mittendos huc à te Sanctos aliquos Patres, quos rectè Japonicarum superstitionū Magistris possimus opponere. Id faciendi præcipua tibi causa sit excel-

excellentia quædam Nationis Japonicæ mihi perspecta supra cæteras hactenus in hisce tractibus detectas. In quarum nulla, quæ quidem suis legibus vivat, & Regi Lusitaniæ non sit subdita, satis verosimiliter videtur sperari posse Christi Religionem perenni firmitate radicandam. Una ex omnibus, & sola, quantùm sapio, Japonia videtur inconcussam, æternámq; servatura Christianæ Sanctitatis professionem, si eam semel arripuerit: quod utique non sine ingentibus Evangelicorum Præconum ærumnis, ac contentionibus eventurum est. Sina, quæ Regio est patens latissimè, pacatissima, temperata magno numero exquisitarum legum, uni paret Monarchæ; cui ad nutum obeditur. Opulentissimum est regnum, cunctis ad vitam humanam necessarijs abundans. Freto modico dirimitur à Japonia. Gens pollet ingenio, & studiis insudat, legum præsertim, & Jurisprudentiæ humanæ, Politicæque rationis, cujus exquisitè pernoscendæ ingenti plerique cupiditate flagrant. Vultus illis candidi, imberbes, oculi parvi. Liberalis plerisque indoles, pace inprimis gaudent, quæ fundatissima sine ullo belli metu inter ipsos viget. Nisi quid novi obstaculi supervenerit, quod iter destinatum intervertat, spero me hoc anno, secundo & quinquagesi-

mo

mo ſupra ſeſquimilleſimum, navigaturum ad Sinas, quò me vocat ſpes operæ ad ingens Dei obſequium navandæ, in magnam utilitatem cùm Sinicæ gentis, tum Japonicæ. Nā ſimul ut innotuerit Japonibus, Sinas Chriſti legem fuiſſe amplexos, veroſimile eſt multùm illos remiſſuros de pertinacia, quâ pravis ſuis ſectis adhærent. Adeóque magna me ſpes tenet, tam Sinas, quàm Japonios operâ Societatis à ſuis idololatricis ſuperſtitionibus abductos, adoraturos Chriſtum JESVM omnium gentium Salvatorem. Obiter quiddam referam, quod in uſu mutuo iſtarū gentium ſingulare, ac mirum obſervatur. Sinica, & Japonica diverſæ linguæ ſunt; adeò, ut qui ijs utuntur, invicem non intelligant: quod tamen Sina ſcripſerit, legit, & percipit litteratus Japon; ſed cùm ſono ſcriptum exprimit, ne ab ipſo quidem ſcriptore, ſi præſens adſit, quid dicat cognoſcitur. Nempe litteræ Sinicæ non vocis humanæ ſonos varios, ut noſtri litterarum characteres, ſed res protinus ipſas exprimunt, ideóque ſunt innumerabiles. Diſcunt autem, qui doctrinæ nomen affectant Japones, litterarum iſtarū poteſtatem; hoc eſt, non quod verbum, aut vocabulum indicent; ſed quā rem deſignent. Sublevando autem Elementariorum & Magiſtrorum labori hoc excogitârunt compendium.

dium. Proponunt in tabula litteras Sinicas, cuique imponendo pictam effigiem ipſius rei quam ſignificat. Exempli gratiâ, qui character homini deſignando inſtitutus eſt, ei forma expreſſa hominis incumbit Sic in cæteris. Inde fit, ut admoniti conſpectu ſigni Iapones lectores, easdem quidem res cogitationi ſubijciant, quas Sina ſcriptor in mente habuit; ſed dum voce, quod legunt, efferunt, vocabula Japonica res illas denotantia pronuncient, quæ Sinæ audientes, quid ſibi velint prorſus neſciunt: uti nec viciſſim, ſi coram Iapone Sina eandem ſcripturam voce adhibitâ legens exprimat, Iapon, haud intelliget quid verba ſonent. Scripſimus linguâ Iaponicâ librum explicantem origines mundi, & cuncta vitæ Chriſti myſteria. Eundémque deinde librum Sinicis characteribus diſcripſimus, quod exemplar cogitamus ferre nobiſcum euntes ad Sinas; ut interim, dum linguæ notitiam putamus, ſpecimen poſſimus dare Sinis ſcripto ipſis noto expreſſum eorum, quæ afferimus. Oro, atque obſecro ſanctam charitatem tuam, per quo Deum amore proſequeris, quóque ejus obſequij ſtudio flagras, fac tam ipſe tu, quàm univerſa Societas, quotidianis me veſtris ſacrificijs, & precibus Deo impenſè commendetis. Peto inquam, & rogo interprete, ac

conciliatrice sanctâ charitate tuâ, Patrum omnium, præsertim Professorum, procurari mihi suffragia, & efficaces intercessiones ad communem Dominum, quæ junctæ cumtotius militantis Ecclesiæ meritis, cúmq; precibus omnium Beatorum, qui dum viverent de Societate fuerunt, & cum universæ triumphantis Ecclesiæ conspirantibus in idem votis, impetrent mihi à Deo Domino nostro gratiam intelligendi clarè in hac vita, quid sanctissima ejus voluntas à me optet, simúlque auxilium, ac vires integrè, ac perfectè quidquid innuet, aut injunget, exequendi. Cocino IV. Kal. Febr. Anno M D. LII.

*Minimus filius idémq; in exilio maximo.*

Franciscus.

## Epistola XVIII.

### P. Simoni Roderico, Soc: Iesv in Lusitaniam.

Summarium. *Andream Carvallium in Lusitaniam remissum Simoni commendat.*

*Gratia & charitas D. N. &c.*

SCripturus mox ad te fusiùs de rebus Societatis in his terris nostræ hanc segregatam, & peculiarem paucis absolvam epistolam, cujus argumentum idem, & Tabellarius, Andreas Carvallius erit. Hunc ego per bo-

num

num juvenem valetudinis gratiâ remittendū ad vos cenſui. Hic enim ægrè vitam trahebat, & quâ ætate, atque indole eſt, Medici ſperabant Patrij cœli hauſtu reparari vires ejus morbo proſtratas, & in integrum poſſe reſtitui. De illo hoc peregre rediens, concordi omnium, qui hic ſunt, teſtimonio comperiebam, nulli eum noſtrorum his in locis degentium dotibus naturæ, ac donis gratiæ cedere, ſummámque in ejus juventute ſpem paſſim majores natu collocant ob virtutes, quas in eo poſuit Deus Dominus noſter, quáſque per ſuam miſericordiam augebit. Equidem ita eſſe ego quoque arbitror, ut dicunt; & libenter hujus ſpei te gaudio impertio, optans tecum, vovénſqve, ut creſcat in mille millia hic frater noſter, & ſocietatem expectato fructu cumulet. Oro te per Dei Domini noſtri amorem, atque obſequium, chariſſime mi frater Simon, ut Andream Carvallium eâ iſtic charitate excipias, quâ & ego & ipſe ſperavimus excipiendū eum, & recreandum à te. Quid in hiſce partibus novi contigerit, copiosè, ac minutè perſcribam ad vos Deo juvante, antequam ſolvam Cocinum verſus, quod futurū puto circiter quintum decimum ab hinc diem. Deus Dominus noſter nos in paradiſi gloria conjungat; nam quando in hac vita congredi coram, &

amplexari mutuò possimus; equidem non video. Illud pro certo habe, dulcissime Fr. Simon, insculptam animo penitus meo me quocumque circumferre imaginem tui, cujus objectu te in spiritu continuè cerno. Iámque illud, quo diu prope impatienter exarsi, te præsentem oculis corporis spectandi desiderium fero leviùs, illo me assiduè interiori desiderati capitis aspectu consolante. Vale. Scribebam Goæ VI. Kal: Aprilis. A. M. D. LII.

*Tuus in Christo*

Franciscus.

FINIS.






**liotheca** 1000 zł.

**lensium in Bielany**

ibliotece Jagiellońskiej



03929

B. 11. 23

t

| | |
|---|---|
| | dobry |
| | średni |
| | zły |
| | zł. |
| | ct. |




712881 Bibliotheca 1000 zł.
P.P. Camaldulensium in Bielany




B. 11. 23

